Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

10. 6. 2. 19.

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

5 Jd

JOS. EMAN. MINIANÆ, VALENTINI,

ORDINIS SANCTISSIMÆ TRINITATIS, REDEMTIONIS CAPTIVORUM SODALIS,

DE BELLO RUSTICO VALENTINO, LIBRI TRES,

SIVE

HISTORIA DE INGRESSU AUSTRIACORUM FOEDERATORUMQUE IN REGNUM VALENTIÆ.

EX BIBLIOTHECA GREGORII MAJANSII, GENEROSI VALENTINI.



Miñana J. M.
R.

HAGÆ-COMITUM,
APUD PETRUM DE HONDT,
M. DCC. LII.

14

Digitized by Google

MVSEVM
BRITAN
NICVM

Digitized by Google

GENEROSISSIMO DOMINO,

OTTONI FRID.

COMITI DE LYNDEN,

GREG. MAJANSIUS,

GENEROSUS VALENTINUS,

S. D.

BEllum Ruſticum Valentinum, à Joſepho Emanuele Miniana ſummo judicio ſcriptum, ac ſtilo verè Romano, ad Te mitto. Leges Hiſtoriam veridicam, amœnam, jucundam, & ſolis Valentinis ob argumentum ingratiſſimam: quippe Jura rebus præclariſſimè geſtis per tot ſæcula parta, & ſtabilita, uno temporis infeli-

Digitized by Google

ciſſimi articulo, ob paucorum hominum amentiam, amiſimus. Sed querelæ nunc inanes, poſteris cautioribus exempla ſunto utilia. Tuque, Vir Illuſtriſſime, quoniam à me hoc Opus petiiſti, accipe illud; & ſiquidem ob Tua merita erga me, omnia officiorum genera potes exigere; manda, jube, impera; Tuam alacriter voluntatem exſequar: & nullam prætermittam occaſionem prædicandi ingenium, doctrinam, eloquentiam, & humanitatem Tuam. Vale igitur ad fovendas, & propagandas litteras cum Tui Nominis gloria. Olivæ VII. Idus Septembr. Anno MDCCLII.

GREGORIUS MAJANSIUS,

GENEROSUS VALENTINUS,

JOSEPHI EMANUELIS MINIANÆ

STUDIOSIS LECTORIBUS.

1. *JOſephus Emanuel Miniana natus fuit Valentiæ Edetanorum, Idibus Octobris, Anni MDCLXXI. Parentes habuit Joannem Minianam, & Spem Stelam. Pubertatem egreſſus, nomen apud Sanctiſſimæ Trinitatis Sodalitium profeſſus eſt XIX. Cal. Septembr. Anni MDCLXXXVI. &, poſt conſuetum tirocinium, ad perpetuam profeſſionem admiſſus eſt IV. Cal. Novembr. Anni MDCLXXXVII. Cum eſſet tirunculus, Libros Sacros ferè omnes memoriæ mandavit, maximè Hiſtoricos. Hinc, anno MDCCXXVI. cum diſcipulus, idemque amicus ejus, in Præpoſituræ Valentinæ competitione, Sacrum Textum enarraturus eſſet, unus Miniana facilè potuit prælectionem omnem ſcribere, nullis libris conſultis, eruditiſſimis viris, in ſcholaſtico pulvere verſatiſſimis, id multùm demirantibus.*

2. *Adoleſcentulus Neapolim, Superiorum permiſſu, profectus eſt, ubi ſeptennium vixit. Ibi linguam Latinam diligentiùs didicit: pingendi etiam artem edoctus fuit: atque ſuæ dexteritatis præclara poſteà monumenta reliquit Sagunti, ubi apud Cœnobium Trinitariorum, in Altari maximo duæ conſpiciuntur Tabulæ, quas ille depinxit.*

3. *Neapoli in Hiſpaniam reverſus, Latinam Linguam quadriennium docuit Liriæ; quadriennium alterum Sagunti: deinde Rhetoricam aliquot annos in Academia Valentina, ab anno ſcilicet MDCCIV. quo Rhetoricæ Cathedram obtinuit: in cujus anni litterarii initio, Orationem habuit* de Revocanda Eloquentia, *quam penes me habeo. Atque hæc eſt Oratio illa, caſta, & verecunda, quam, ut plerumque ſolent amici res amicorum, laudibus extulit immodicis Emanuel Martinus,* Epiſtola XLI. Libri II. *Quod à viro prudentiſſimo factum puto, ut eum ad majora excitaret. Et certè cum Miniana cogitaret altiora, à Rheto-*

torices profeſſione abdicavit ſe. Urbs verò Valentina abdicationi noluit aſſentiri, ne tanto Præceptore Academia, cujus eſt Patrona, careret. Miniana tamen ex illo tempore, neque Academiam ire, neque honorarium voluit percipere. Sic oſtendit Valentina Urbs quanti faceret Minianam. Ipſe verò conſtantiſſimè in ſuo permanſit propoſito, & otium nactus, animum appulit ad ſcribendum.

4. *Ac primùm, Saguntinarum Antiquitatum occaſione, ſcribere cœpit Dialogum* de Theatro, & Circo, *quòd opus accepi editum eſſe Venetiis à Marchione Polenio, in* Supplemento Theſauri Antiquitatum Romanarum, & Græcarum, Grævii, & Gronovii. *Sed cum opus illud intermiſiſſet, ut ipſe ſcripſit Emanueli Martino,* Epiſtola XLVIII. Libri II. *ſcribere aggreſſus eſt* Bellum Ruſticum Valentinum, *ſive,* Hiſtoriam de Ingreſſu Auſtriacorum Fœderatorumque in Regnum Valentiæ, *cujus Primum Librum Emanueli Martino miſit, III. Nonas Quinctiles Anni MDCCVII. ut videre eſt in* Epiſtola L. Libri II. *Accepit eum Martinus, & paulò poſt Secundum; promiſitque ſe recogniturum utrumque: quod egregiè præſtitit laudati* libri Epiſtola LIII. *quam ego edidi, prætermiſſis multis, quæ ipſe Auctor cancellavit in autographo ſuo, ita tamen ut in eo quod aſſervo, legi poſſint. Quid ſecretò de hac Hiſtoria ipſe Martinus ſenſerit, videri poteſt in* libri V. Epiſtola II. *ad Marchionem Mondexarenſem. Sed cum venia tanti viri, hujus Hiſtoriæ dictio ad Cæſarem non accedit: nam Cæſaris ſtilus ſimplex, faciliſque eſt; Minianæ, elaboratus, & duriuſculus: illius, valdè perſpicuus: hujus, ſuboſcurus: Cæſar denique in omnibus rerum, de quibus agit, cauſis aperiendis, mirificus eſt; Miniana verò aliquandò ſolet ad arcana Regum Lectorem remittere, ut contingere neceſſe eſt ferè omnibus Hiſtoricis, qui juſſu Principum non ſcribunt. Præterea in his, quæ nunc legimus, à veritate Miniana non defecit, etiamſi, cum ea primùm vidiſſet Martinus, aliqua eſſent, quæ noſter Hiſtoricus accepit ab hominibus, quibus non æquè ac Martino res introſpectæ, ac notæ erant.*

5. *Tertium Librum duobus prioribus eloquentiorem non vidit Emanuel Martinus: quod dolendum eſt. Auctor eum mihi legendum dedit Anno MDCCXXIII. cum occupatus*

Digitized by Google

eram in Codicis Juſtinianei Cathedræ petitione; & nihil tunc adnotare poteram, niſi quæ ad ſtilum pertinerent. Vellem ego ut in multis factis tempus diligentiùs notaretur, & ut ea, quæ pertinent ad Hiſtoriam Juris, cujus facta eſt ferè totalis permutatio, copioſè, & diſtinctè traderentur. Sed tamen, neque quiſquam alius noſtri temporis res (quòd ego ſciam) veriùs ſcripſit: neque ipſe Auctor quidquam elucubravit enucleatius: nam ſi Marianæ Hiſtoriæ Continuationem, *cui poſteà dedit operam, cum his* Libris de Bello Ruſtico Valentino *conferas, illic rerum geſtarum potiùs Indices, aut Annales confectos videas; hìc Hiſtoriam amœniſſimam, & quod caput eſt, cum prudentia, & libertate ſcriptam: etſi palam dicendum eſt, eum fuiſſe ſtudioſiſſimum Philippi V. Hiſpaniarum Regis. Huic Hiſtoriæ non præfixit nomen ſuum: ſed latere voluit, appellans ſe* Anonymum Coſmopolitanum, *fortaſſè quia nonnullos Auſtriacarum Partium ſectatores ſceleratiſſimos ad vivum effinxit. Sed tamen opus ſuum cupiebat ad poſteritatem transmitti, cum, ejus conſervandi gratia, exemplar miſerit ſua manu ſcriptum Matthiæ Chaſreoni, amico ſuo, Anteceſſori tunc Salmanticenſi; & aliud penes ſe retinuerit diligenter conſervatum, quod poſt mortem ejus non apparuit, furaci, vel invida manu occultatum. Sed, quod felix, fauſtumque ſit, mea diligentia, & induſtria effectum eſt, ut per longas ambages unum exemplar obtinuerim, etſi plurimis in locis inſcienter deſcriptum; ſed non difficulter à me integritati ſuæ reſtitutum. Et ut ea, quæ narravit Miniana, meliùs intelligantur, Rerum, ac Verborum memorabilium, & maximè propriorum, confeci Indicem, ne loca, perſonæ, & munera ullo modo confundantur; utque hoc modo faciliùs poſſit hoc opus in vulgares linguas transferri; neque illi contingat, quod* Hiſtoriæ *à ſe continuatæ* de Rebus Hiſpaniæ, *quæ peſſimè verſa eſt in linguam Hiſpanam.*

6. *Præter Orationem* de Eloquentia revocanda, Dialogum de Theatro, & Circo, *& jam laudatas* Hiſtorias, *ſcribere cœperat Miniana* Saguntineïda, *ſive Poëma de Sagunti excidio, Statium Papinium, & Claudianum imitans. Cum verò quadringentos, & quatuordecim verſus panxiſſet; ſubſtitit; & Platonem imitatus, ad alia ſtilum convertit, in quibus magis poſſet clareſcere.*

7. Ejus

Digitized by Google

7. *Ejus ad me, & ad alios* Epiſtolas *jam edidi inter meas, & Martinianas, duabus, aut tribus omiſſis, quas obtinui poſteà, & publici juris faciam, cum ſeſe dabit occaſio.*

8. *Cum itaque vir egregius nihil aliud curaret, optaretque, niſi quietè & tranquillè vivere, litteris operam dans, & cum pauciſſimis converſans; decubuit, & deceſſit Valentiæ, tertium Cœnobiarcha, VI. Cal. Auguſtas, Anno MDCCXXX. quo tempore ego Olivæ eram; & amici officia peragere non potui. Prætereà ille Provinciæ Aragonum fuerat Viſitator Generalis; quod munus ſuo more adminiſtravit prudentiſſimè.*

9. *In omnibus Joſephi Emanuelis Minianæ ſcriptis gravitas eſt mirifica, & Latinæ Linguæ ſumma proprietas. Illam habebat ab ingenio ſuo: hanc hauſerat ab auctoribus optimis, præcipuè à Plauto, quem memoriter recitabat: ut qui per multos annos ſingulis noctibus, antequàm iret cubitum, Comœdiam legerat, ſtili familiaris formandi gratia. Ideòque omnium, quos novi Latinè loquentes, expeditiſſimè loquebatur. Græcam Linguam ſatis intelligebat, & nonnunquam transferebat in Latinam aliquod Anthologiæ Epigramma. Novi Teſtamenti Græcè ſcripti lectione maximè delectabatur; atque hanc linguam adeò amabat, ut, morti proximus, Orationem Dominicam Græcè recitaret, exiſtimantibus Monachis, qui aderant, delirare illum. Itaque, ad extremum uſque ſpiritum, eruditionem cum pietate conjunxit. Evaſit tantus vir, quia Emanuelis Martini ſectator fuit ſtudioſiſſimus, ab eo edoctus, amicè caſtigatus, incitatuſque ad ſuſcipienda, & perficienda, quæ*

Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetuſtas.

JOSE-

Digitized by Google

JOSEPHI EMANUELIS MINIANÆ,

DE BELLO RUSTICO VALENTINO,

LIB. I.

IS erat in univerſum Europæ ſtatus ad annum quintum, ex quo Philippus, Magni Ludovici Galliarum Regis nepos, in hanc ultimam terrarum Hiſpaniam, hereditario jure, & ſanguine adſcitus, ſummum imperium in ea obtinebat, ut in mutuam perniciem omnium ferè Principum arma conjuraſſe viderentur, nullusque eorum cupiditatibus modus adhibendus, absque miſerabili alterius partis ruina. Tulerant autem violenter admodùm Auſtriaci Principes Caroli II. Hiſpaniarum Regis conſilium, qui tanti imperii heredem, extremis vitæ temporibus, inſtituerat Borbonicæ domûs Principem, communis familiæ Auſtriacæ omnibus poſthabitis rationibus: quo facto, non modò eo ſe imperio dejectos dolebant, ſed familiam ſibi infenſiſſimam ad illud faſtigium provehi, quo aucta, totius Europæ cervicibus fore ut immineret. Ergò Leopoldus Cæſar, Auſtriacæ domûs caput, inito fœdere cum Britannis, Batavisque, ac nonnullis Germaniæ Populis, & Principibus, nec multò poſt cum Petro II. Luſitaniæ Rege, ac demùm cum Allobrogum Principe, qui propriis commodis unicè inſerviens, ad Cæſaris partes tranſierat (etſi belli initio Hiſpano-Gallicas apertè foverat diu) ſuæ fami-

liæ jura vi, & armis perſecuturus. Exarſerat jam bellum locis disjunctiſſimis, maximèque diverſis, magnis animis, opibusque fœderatorum: quod ſanè gerebant haud perinde ut Auſtriacæ dignitati, & commodo inſervirent, quàm ut vix tolerandam Galliarum Regis potentiam, & acceſſione Hiſpaniarum virium multò formidabilem deprimerent. Non enim parùm eos commovebat, perpetua rerum humanarum rotatione fieri poſſe, ut Galliarum, Hiſpaniarumque Regna in unius omninò Principis imperium concederent. Quo certè ſuis rationibus cadere poterat magis adverſum nihil, cum in prohibenda ejusmodi Regnorum coitione ſalutem ſuam poſitam pro comperto haberent. Et quaſi ad commune excidium majori eſſet opus belli face, ſic maligno quodam exorto ſidere, par diræ concertationis inſania in diverſis provinciis mortalium pervaſit animos, alentibus ſeditionum flammas partium facultatibus, ut excuſſo legitimi dominatûs jugo, ad arma ruentes, in ſuos Principes ea nefariè converterent. Quod facinus adeò indignum etiam Hiſpani homines, quibus nihil erat fide præclarius, obliti in Principem clementiſſimum pietatis officium, admitti veriti non ſunt, vanis quibusdam opinionibus decepti: cum illud ſemper fuerit ingenium vulgi, ut eò magis rerum excutere rationes, ac ſuæ ſubjicere cenſuræ inſolenter, ac protervè ſoleat, quò minus tenet earum ſummam. Erat primum in cauſa, quæ apud Hiſpanos, plurimùm vigebat, Auſtriacæ domûs memoria, cujus fuerant imperium à multis annis placidum, ac benignum experti. Tum in Principes illos propenſiſſimis animis ferebantur, ob inſignem eorum pietatem, in Catholicæ Religionis dignitate tuenda contantiſſimè, ac propugnanda. Contra verò, cum Gallorum Nationem odio haberent, propter veteres ſimultates, æmulationemque virtutis, uti qui tot bella cum gen-

te

te illa geſſerint, ægrè perquàm ferebant ex infenſiſſima illa Natione Principem ſibi imperari, quòd ſubigi quodammodo potiùs id eſſe, quàm ſubjici videretur. Augebant invidiam negotiatores, & innumera alia Gallorum multitudo, quæ abjectiſſimum quemque, ac ſordidum planè quæſtum, in nonnullis Hiſpaniæ provinciis, exercebat: quorum omnium unum erat conſilium (ſic plerisque omnibus perſuaſum) aurum ſcilicet, atque argentum corradere, atque in Galliam tranſportare. Quæ ubi in majus rerum imperiti homines verbis malignis extollunt, peſtifera veluti quadam contagione vulgi animos inficiunt, atque in partium ſtudia ſatis proclinatos graviùs impellunt. Præterea autem cum Thomas Henriquezius, dignitate Caſtellæ Navarchus, ſeditionis caput, vel factorum conſcientia actus, vel quadam animi levitate, quod ad liquidum perduci non potuit, in Luſitaniam unà cum Bidaco Hurtado à Mendoza, Corzanæ Comite, aliisque ſuæ factionis hominibus profugiſſet, ibique Archiducis partes apertiùs fovendas ſuſcepiſſet, multorum animos eo facto vel deflexit, vel à Rege penitùs avertit. Fuit inter hæc, ut Nobilis quidam è cuſtodia, in quam fuerat traditus, ob intempeſtivam oris licentiam, qua averſum à Rege animum gerere ſignificabat, feliciter ſe ſubduceret: qui varias Hiſpaniæ regiones, mùtata ſubinde perſona, peragrando, multorum animos, ac vulgi maximè, cui Borbonicum nomen haud erat gratum, ſollicitavit, magnificisque pollicitationibus ad detrectandum imperium extulit. His acceſſit Gotholanniæ, ſive Cathaloniæ motus, quorum ingenium hominum ſeditioſum eſt, ac belli avidum, proindeque quieti, & otio adverſum. Horum perſuaſionibus bona item Aragoniæ pars, vel leviter impulſa à Rege defecerat; ita ut ni quàm maturrimè populorum ſeditionibus à Regio fuiſſet equite ob-

viam itum, absdubio (ut poſtea ſponte ſua fecerunt) fidem properè omnes mutaſſent. Itaque Valentini populari acti petulantia, quæ ſæpe numerò turbare ſolet, ac miſcere omnia in Republica, hujusmodi exemplum tam fœdum inccœptu, quàm fœdum exitu, imitati ſunt. Et quidem principio incœptum ubique locorum, inter homines è plebe, aſſentantibus Cucullatis, ex certis præcipuè Ordinibus, & nonnullis Vicorum Curionibus, de Archiducis Auſtriæ jure clanculùm diſceptari, eique penè citrà controverſiam, in eorum turbellis, & conventiculis, in quibus ejusmodi ſtudia colebantur, Hiſpaniarum imperium adjudicari. Atque adeò in dies hæc peſtis graſſata eſt, ut vel honeſtiſſimi ordinis nonnullos afflaverit. Et creſcente paulatim hominum petulantia, Baſeti aſtu, & Raphaëlis Nepotis perfidia, nulla ſacramenti, & fidei habita ratione, inconſcii planè, quantùm ſceleris hoc facto ſuſciperent, in apertam rebellionem, malo gentis fato, proruperunt. Cujus ego temeritatis mala, calamitatesque, & bellum inde exortum ſcripturus, nullius auribus quicquam me velle dare profiteor; ſed juxta rerum ordinem, ac temporum, procul ab odio, & gratia, quid apud Valentinos ab ipſo tumultûs exordio viderim, vel à viris proſpectæ fidei acceperim, quod operæ pretium eſſe putaverim, qua potero brevitate enarrare aggrediar.

2. Poſtquam apud Viennam Auſtriæ Archidux Carolus Leopoldi Cæſaris filius, celebri pompa Hiſpaniarum Rex fuit ſalutatus, jure ſanguinis hoc imperium ad ſe pertinere credens, in ejus ſpem potiundi, ad Luſitaniæ littora, Britannorum, ac Batavorum navibus vectus, auxiliisque ſtipatus, appulit, Caſtellæ Regna armis invaſurus. Sed cum id minùs ex fœderatorum ſententia caderet, quorum cauſa in hoc bello præcipuè agebatur, imò contraverſum, victricia Catholici Regis ſigna, nonnullis arcibus ex-

pu-

Digitized by Google

pugnatis, captisque urbibus, ad interiora Luſitaniæ penetraſſent; mortuo demùm Navarcho, cujus pollicitationibus, ut bellum in illis partibus gereretur, non nihil ponderis acceſſerat, optimum factu viſum eſt, relicta Luſitania, in qua nihil cœptis, duobus ſuperioribus annis, arriſerat fortuna, aliò belli molem transferre. Itaque impoſito navibus milite, omnique bellico inſtrumento, Cathaloniam adnavigare decernunt, hortante Georgio, Haſſiæ Principe, qui cum Caroli II. ævo, in ea Provincia Proregis munus ampliſſimum adminiſtraſſet, plerosque omnes Cathalanos fore ſibi præſtò, obſequiumque præſtituros, pro explorato habebat. Siquidem ſuper hac re à multis propenſiſſimo ſtudio litteræ ferebantur ſcriptæ, eum rurſus, melioribusque auſpiciis, quàm ſuperiore anno, ad eam Provinciam occupandam invitantibus, atque in hanc cauſam ſuam operam non inſtrenuam pollicentibus. Fœderati igitur hac ſpe adduci videbantur in eam ſententiam, quòd videbant, minori bellum commeatu, atque emolumento iri adminiſtratum, ſi aliquam Hiſpaniæ maritimam Provinciam ſibi adjungerent, cujus opibus, nervisque adjuvarentur: ac præterea prævidebant, quò Philippo rem facerent populorum ſeditionibus impeditiorem, eò plus momenti ſuis rationibus acceſſurum. Et quidem nullam huic conſilio meliorem dari tempeſtivitatem, quàm initia Principatûs, novis ſemper rebus attentandis obnoxia. Nec id magni moliminis eſſe negotium exiſtimabant in dies labefactare. Tum etiam, Luſitanis in altera Hiſpaniæ parte, Caſtellæ fines invadentibus, Hiſpaniæ vires plures in partes deſtinandas, proindeque haud quaquam ſuffecturas, ut, quam agitabant animo expeditionem, morarentur. Ac demum ut eorum hominum animos Auſtriaci nominis ſtudio, & amore flagrantes, ad ſe vehementiùs pellicerent,

Digitized by Google

in Mediterraneum cum ingenti navium, armorumque apparatu Archiducem invehunt. Cujus conſilii admodùm callidi nullatenus ſpem fefellit eventus. Cæterùm Hiſpaniæ littora cum legerent, aquatum naves, ubi Althæam, in ora Valentina (quod ſuperiore item anno fecerant) appulerunt, non defuere in ea regione turbida ruſticorum ingenia, quos inter Curio illius oppidi, immodicus Archiducis partium fautor, qui Baſetum bellicis machinis præfectum ad occupandam, quæ portui imminet, Dianii arcem, juſto militum præſidio vacuam, hortarentur.

3. Erat autem Joannes Baptiſta Baſetus natione Valentinus, obſcuro loco natus, ac planè lignarius faber, qui ob homicidium ab ſe patratum, aliaque flagitia, metu pœnæ tactus, patria profugerat, militiæque nomen dederat. Cum verò ad artificia poliorcetica animum adjunxiſſet, ob ingenii ſolertiam in illis excogitandis, in Georgii, quem diximus, clientelam accitus, eum Principem, Philippi Regis decreto Hiſpania cedere juſſum, in Germaniam proſecutus eſt. Qui denique Georgius Archiduci militans, ſecum in Hiſpaniam Baſetum reduxit, ejusque opera diligenti admodùm, apud Heracleam ad Calpen, uſus fuit in illa arce munienda pariter, & conſervanda, non ſecùs ac in promovendis poſtea, cum eſſet ille Dianio incluſus, Valentinorum animis ad defenſionem concitatis. Is ergo Baſetus opportunam nactus occaſionem rei gerendæ, XVI. ſociis è navi exſiliens, præmiſit Franciſcum Avilam ab Althæa cum ruſticorum turba, qui terreſtri itinere eò accederet: cumque in conſpectu eſſet incondita illa multitudo, Paſchalis Perelloſius, Arcis Præfectus, ne à tumultuantibus captus, aliqua inſigni contumelia afficeretur, per murum elapſus, tutiora petivit. Itaque nullo negotio Arcem Dianenſem ſatis munitam, urbemque, civibus nihil repugnantibus, imò eum ultrò arces-

ceſſentibus, ineunte ſextili, anno à partu Virginis MDCCV. occupavit, ac diligentiùs munivit. Quo facto, omnium ordinum homines corruptiſſimi, &, quam habuit tota Provincia ſordium colluvies, ex egenis, & inopia flagrantibus, ſine lare, ſine tecto, ſine ſede vagi, vel pravitate, vel deſperatione rerum omnium, ad tumultus, & flagitia paratiſſimi: quorum plerique capitalia auſi, unde illis maxima peccandi neceſſitudo, eò convenientes, Baſeto ſeſe conjungere. Alii, quibus vel levitate ingeniorum, vel ob ſpem hilarioris fortunæ, magis placebant turbæ, & ſeditiones, quàm tuta quies, & otium, per litteras in ejus ſe amicitiam inſinuare, ſperantes ex eo maxima vitæ ſubſidia ſibi proventura. Interim claſſes in altum provectæ, Barcinonem, totius ſuſcepti laboris ſcopum, tendebant, cum apud Valentinos ſerpere in dies malum, graſſarique cœpit. Quippe Baſetus per nonnullos homines ex agro Valentino, ſibi propinquos, mox per alios dignitate conſpicuos, conſilii quoque participes, quos præter avaritiam, cui nihil unquam fuit nefas, tam dominationis ſpes, ſemper præceps, quàm aliæ neceſſitudines, hortabantur, litteras, *Maria, Montesque pollicentes crebrò mittebat popularibus, ut deficientes à Regis fide,* (quem Andegavenſem Principem appellabat) *Caroli III.* (ita Archiducem nominabant) *partes fovendas ſuſciperent. Nec periculi quicquam eſſe in eo facinore patrando, cum ipſe quàm plures haberet Principes in ipſa Regia non ſui modò conſilii conſcios, ſed etiam auctores, uti certis litteris apud ſe teſtatum reliquerant.* Quod ſanè commentum non planè hauſtum ex vano fuiſſe, Principum aliquorum poſtea docuit eventus. His, aliiſque technis circumventi populi, cœperunt acriùs imperium detrectare, unde tanta malorum Ilias ſubſecuta eſt, abnuentibus quibus peritia, & verum ingenium erat, pleriſque omnibus.

Erant hujusmodi hominum inſaniæ præſentiſſima remedia adhibenda. Sed dum mitiùs agitur, quàm res poſtulabat, nihil aliud importuna dementia quæſitum eſt, quàm Regiam auctoritatem minui, & improbis hominibus metum adimi. Quapropter qui omnem illam oram ruſtici homines ad Dianium incolebant, falſa illa ſpe pleni, uti in ore erat omnibus, fore ut vectigalibus, quibus magnopere premebantur, brevi relevarentur; imò in præmium facinoris eorum immunitate donarentur, juratam Regi fidem imprudenter negligentes, ad arma conſternati, rebellare cœperunt. Cui malo occurrit primus Joannes Caſtelvinius, Cerveglonii Comes, ac Prætor Urbanus, pro munere Tribuni Militum, quod etiam in Provincia ſuſtinebat, paucis ſtipatus militibus, raptim collectis, expectans anxiè à Rege propèdiem mitti auxilia Legionariorum, quibus & tumultuantes ruſticos acriùs compeſceret, atque Dianium obſideret. Interim tamen illius regionis homines, & armis, & conſilio ſanè prudenti, ab incœpto deterruit, & in officio continuit, uſque ad Ludovici Zugnigæ adventum à Rege præmiſſi, cui traditis copiolis, domum revertitur aliis curis diſtinendus. Zugniga verò Franciſci Faxardi Villadariæ Marchionis, qui in Bætica tunc temporis Exercitum tenebat, Legatus, ubi eò venit, nihil cunctatus, cum illis copiolis, & ala equitum Raphaëlis Nepotis, Cathalani, qui dudùm ex obſidione Heracleæ in Bætica venerat, & ad Provinciæ cuſtodiam fuerat relictus, montium anguſtias ſuperavit: Molendillum, opportunum locum ſeditioſis, haud procul Dianium dejectis munitionibus, decuſſoque ruſticorum præſidio, cepit: direptisque aliquot pagis, quòd fidem mutaverant, ad Dianii ſuburbia pervenit, cujus incolis Equites ingentem timorem incuſſerunt ædificiorum incendio, muro, portisque conjunctorum. Nec abſque metu

Ba-

Digitized by Google

Baſetus, qui haud ſatis credebat ſeditioſis illis hominibus, vel externa vi perterritus, noctes aliquot in navicula tranſegit, quam extremis caſibus in portu habebat paratam. Sed cum veterani peditatûs nullæ ſuppeterent copiæ, re infecta, Zugniga ad vicina loca occupanda, in ſpeciem diuturnæ obſidionis, ſe vertit, ne quicquam commeatûs ad Baſetum ſubveheretur. Aderat unà Paſchalis Franciſcus Borgia, Gandiæ Princeps, haud procul Dianium in ſua urbe cum ſociis quibusdam Equeſtris Cenſus à Valentia, diuturnitate otii, belli inſolentibus, cum Raphaël Nepos, equitatûs, quem modo memoravimus, præfectus, inita ſocietate cum Baſeto hoſte, per nocturnos congreſſus in locis ſilveſtribus, ad quos per ſpeciem venandi ſæpe proficiſcebatur, conſiliisque communicatis, fratrum perfidiam, qui in Cathalonia ſuos populares, ac finitimos, ad rebellandum paulò ante concitaverant, certus imitandi, opportunitatem rei gerendæ exſpectabant. Nec talium conſiliorum neſcii Vincentius Turreſius, qui erat Valentiæ Urbis Seviris à ſecretis, ſtipendiis militibus perſolvendis à Magiſtratibus eò miſſus, & Joannes Tarrega, Nobilis à Sætabi, & equitatûs illius urbis ductor, qui unà aderat, turbulenti, ac ſeditioſi homines, & qui quieta movere uberrimo quæſtui habebant. Cæterùm Cathalanus animus ſcelere occupatus, pudendi facinoris infamiam contemnens, ubi milites populares ſuos, quibus præerat, in ſuam ſententiam perduxit, Zugnigam, ex ſuperioribus ordinibus ductorem, cui ipſe Nepos, uti ex inferiore ordine, dicto eſſe audiens debebat, imprudentem planè, ac nihil tale ſuſpicantem, unà cum ductoribus aliis ejusdem alæ, ac ſigniferis, ab hujusmodi defectionis ſcelere abhorrentibus, & Petro Corvino, eximiæ fortitudinis viro, qui peditibus Provinciæ præerat, juſſit comprehendi, inque Dianii arcem

detrudi. Gandiæ verò Princeps id cum præſenſiſſet, nec illis opem afferre poſſet, Valentiam inde cum ſociis, & mox in Regiam citiùs, quàm paulò ante venerat, ſeſe contulit: quem conſecutus fuit Joſephus Cernecius, Parſentii Comes, populi turbis in fide nutantis ſe ſubducere maturans.

4. Per eos dies dum nobiliores arces præſidiis lectis ex Provincialibus militiis, & militari inſtrumento firmantur, earumque cuſtodiæ Equeſtris ordinis non nulli, & militum ductores aliquot, qui in urbe fortè verſabantur, ſatis tempori, præficiuntur, Binaroſium, oppidum maritimum, haud procul Cathaloniæ finibus, adventu Joſephi Nepotis cum paucis latronibus, fidem mutat, nihil contra facientibus turmis equitum à Caſtulone, eadem inſania laborantibus, quæ ad oppidum in officio retinendum fuerant introductæ. Quod malum ne latiùs ſerpens, reliquos ejus tractûs populos contagione ſua corrumperet, egerant Nobiles Valentini, & Magiſtratus cum Prorege, qui tunc erat Antonius Mendoza, Villagarciæ Marchio, ut ſubſiſterent paulisper copiæ, quæ ex Bætica ad Aragoniam proficiſcebantur, dum Binaroſium expugnatur: in quam expeditionem tormenta Peninſulani eduxerant, & inſtrumenta ad id neceſſaria paraverant. Mittitur Regiam conſultum, dum lento gradu per Provinciam miles iter faciebat. Sed reverſis mox nuntiis parum ſecundis, caſtigatisque Præfectis per litteras, quòd neglectis imperiis ad Aragoniam minùs feſtinaſſent, oppidi celeriter recuperandi amittitur occaſio, & hominum inſaniam coërcendi. Itaque Franciſcus Velaſco Pozoblanci Marchio, cum ſua veteranorum ala, & non multis Nobilibus ex diverſis locis, qui volentes ſe illi adjunxerant, reliquis copiis ad Aragoniam properantibus, in illis partibus relictus, Benicarlonum occupat, indeque ad Vinaroſii portas

tas

Digitized by Google

tas excurrens, rebelles intra mœnia clauſos tenebat.

5. Baſetus autem ad eum quem diximus modum, obſidione ſolutus, eademque opera ad equitatum mediocriter paratus, nutantem jamdiu in Regem hominum fidem, Dianio egreſſus, cœpit demoliri. Nec Corvini pedites, quòd impares erant reſiſtendo, eum remorati ſunt; imò uti ab omnibus deſerti, captoque eorum ductore, ad ſuos quisque lares ſe receperunt. Igitur patebant urbium, & oppidorum portæ illi adventanti: jungebanturque agreſtes armati: quibus copiis, ac Joanne Tarrega, qui Sætabitanum, quem ducebat equitatum, mutata fide, illi agmini adjungeret, Algeciram, quam Sætabiculam veteres dixerunt, pervenit, oppidum natura loci egregiè munitum, quod in Sucronis inſula poſitum, utrinque flumine ſatis alto defenditur, ponteque ſublato, nulla ſit reliqua irrumpendi facultas. Quæ omnia fruſtra eſt hoſti objicere, expugnata oppidanorum fide. Mox Algecira potitus, accurantibus Franciſco, & Ludovico Garcia fratribus, Valentiam, haud perinde ſua ſponte, quòd viribus diffideret ſuis, quàm & litteris multorum, & nuntiis patriæ, & fidei proditorum adſcitus: æſtu præcipuè, ac diligentia Emanuelis Mercaderii, Octoviri litibus judicandis, qui arcanis Proregis conſiliis cum intereſſet, de arceſſendis maturè auxiliis, quibus rebellium pertinacia frangeretur, audierat, quod ne fieri poſſet, uti gnarus omnium quæ deſtinabantur, filium miſit, (qui pernici admodùm uſus equo, ſtudio maturandi naturam penè vicerat) ut Baſeto Algecira cunctanti, properato opus eſſe nuntiaret, jamque omnia eſſe parata, & magnam eſſe omnium expectationem, ac dies prolatando opportunitatem corrumpi. Quod ideo factum, quòd verebantur, minùs ſe aſſequi poſſe, quæ iniquis animis conceperant, ſi re dilata, Pozoblancus cum equitatu propiùs accederet,

ret, qui, relicta Vinaroſii obſidione, properabat Urbi penè collabenti ſuppetias laturus. Hujus igitur curſum antevertens Baſetus XVII. Calendas Januarii elabentis anni, ſub exortum ſolis ad portam Divi Vincentii acceſſit cum ingenti hominum multitudine. Commodùm per agros Urbi circumjacentes longè latèque ruſticorum clamor inconditus ad arma vocantium, & Archiducem, Caroli III. nomine, Hiſpaniarum Regem conſalutantium, audiebatur, qui omnes per Baſeti emiſſarios, propoſita vectigalium immunitate, excitati, ad vexillum, per primores rebellium Urbi oppugnandæ erectum, undique confluebant. Mulieres quoque ruſticæ, ac puellæ, mediæ inter viros vadebant, ſales, & dicteria in obvios jactantes, in acie demum ſtantes, arma in propugnatores petulanter intendebant. Compleverant murum artifices urbani, quorum major pars ſimili amentia correpti, licet armis benè inſtructi, nihil tamen repugnabant: quod an ita facere juſſi (ne gravius inde detrimentum caperet civitas, quandò Regi, uti malè affecta, ſervari non quibat) nec ne, cum nihil adhuc compertum habeamus, rem utique dubiam in medio relinquimus. Porrò, nec tormenta, in eadem porta collocata, ſunt diſploſa. Quo certè facto, feciſſent omnes fugam, qui eam obſidebant. Ergò Baſetus miſſo cum tubicine, & mandatis Tarrega, jubet *ſibi Caroli* III. *nomine obſequium præſtare cives, uti qui ei rei ampliſſimo diplomate ab eodem Rege ſit deſtinatus.* Negant Nobiles, qui convenerant, *fidem ſe mutaturos, ſed armis potiùs defendendam*, inclinante in alia omnia Joſepho Cardona Monteſianæ Militiæ Præfecto, occultè Auſtriacarum partium fautore. Intereà plebeculam tumultuantem Vincentius Carrozius, Miraſolis Marchio, cum aliis Nobilibus, conſcenſis equis, ſedare curabant, ſingulos *comites* appellando, & *brevi fore ut intra mœnia*

Ba-

Digitized by Google

Baſetus reciperetur pollicendo. Verebantur enim ne illud etiam ad ipſos recideret, quod in populari flamma evenire ſolet, quæ non ita facilè conquieſcit absque Nobilium ſtrage, vel bonorum jactura. Diſcurrebant item legationes à Seviris, & Senatu ad Proregem, orantibus, ut Rempublicam ſuſciperet, ac pro ejus dignitate negotium tractaret. Ille verò, qui ſua cunctatione, & ſenili ceſſatione in eum ſtatum rem deduxerat, ſibi cavens, ab his turbis ſe ſubduxit, inque Seviros, Decurionesque, rem integram pro ſuo arbitrio tranſigendam rejecit. Itaque eodem quo obſideri Urbs cœpta eſt die, rebus cum Baſeto compoſitis, datis, acceptisque conditionibus, deditionem fecere fatis tempori Seviri, Decurionesque, tum ob alia, tum etiam, ne, ſi imminentis noctis tenebris opprimerentur, portas agreſtes homines disjicerent, vel clauſtra introrſus à ſeditioſis, moræ impatientibus, perfracta, inconditum illud agmen, ac prædæ avidum, intra mœnia admitterent, atque ita ab omnibus ſimul patria funeſtaretur. Tanta vis morbi, ~~atque uti~~ tabes, perditorum hominum animos pervaſerat, ut cum ſe ~~prius, rem~~que ſuam flagitioſiſſimè vivendo perdidiſſent, publicam quoque perditum ire toto niſu conarentur. Poſtremò urbs opulentiſſima, juxtaque nobiliſſima, ruſticorum, egentiumque hominum turba penè inermi, ob ſubleſtam in Regem populi fidem, breviter expugnata, obſcuriſſimi civis, eorum ductoris, perfidis equitibus Cathalanis ſtipati, fato potiùs ſuo miſero funeſtoque impellente, in deditionem venit. Baſetus autem cum ſuis commilitonibus urbem ingreſſus, ingenti populi plauſu exceptus eſt (uti diutiùs expectatus adveniebat) tanquam numen aliquod præſentiſſimum, patriam bonis omnibus cumulaturum, qui ex ea, Judicia metuens, aliquot ante annos profugerat. Ple-

be-

becula ea nocte, ut ſtudium ſignificaret erga Baſetum, ſpem, opem, ſalutem ſuam, (ſanctius illi Baſeti, quàm Caroli nomen erat) vicatim ignes accendit, ædes funalibus ornat, tantisque clamoribus conceptam animis lætitiam teſtatur, ut procul ſpectantibus ſpecies urbis incendio flagrantis præberetur. Carcere quoque vincti emiſſi, cujus partem pridiè igne incenderant, ſtudio maturandæ libertatis. Mox adhæſerunt homini in primis Emanuel Mercaderius, immanis ſuperbiæ homo, qui eò venerat amentiæ, corrumpente naturam fortuna, ut quoquò ſe verteret Baſetus, præſtò eſſe geſtiret, illi famulaturus. Joſephus item Cardona, qui ad eumdem modum ſe illi mancipaverat, non aliter perſonati morionis magnificis verbis deceptus, ac quisque vel extremus de plebe. Vincentius Turreſius, qui, uti diximus, Seviris erat à ſecretis, hominem excepit hoſpitio, ibique in publicis Civitatis ædibus, dum fuit Valentiæ, manſit: tametſi poſtea certis de cauſis alienata fuit in eumdem voluntate. Hi erant primores apud Baſetum. Nobiles verò, & æqui homines, qui vitam pacis artibus tranquillam agebant, quique fidem mutari moleſtè ferebant, domi ſe continebant cum conjugibus, & liberis, vulgi licentia territi: adeò enim boni cives perculſi erant metu, ut ſupremum ſibi diem adeſſe crediderint.

6. Urbe in hunc modum capta, Pozoblancus, & Ximenius Perezius Calatajubius, Comes Rahalii, Valentinus, quem ad Urbem redire à Morella Prorex juſſerat, nihil ſe quicquam poſſe rati cum equitatu, Nulis (quò usque Valentiæ opem laturi pervenerant) noctu egreſſi, commeatibus ab oppidanis, Regi fidiſſimis, adjuti, per aſperrimos montes, datis quoque itineris ducibus, proficiſcuntur. Poſtera die ſæviſſimam nacti tempeſtatem apud Villamhermo-

moſam, non recipientibus oppidanis intra tecta, ſub dio noctem imbribus fœdam egere, ac tertia die ad Aragoniæ fines pervenerunt.

7. Sub hæc certatim ex diverſis locis legati oppidorum Valentiam confluentes, Archiducis imperio ſe ſubmittentium mandata exponebant, multa in eorum commoda petentes, ridicula ſanè, atque importuna. Saguntini autem, cum mirifica ſemper fuiſſent in Regem fide, imparati, atque inermes, intercepto eorum equitatu in ſuburbio Divi Vincentii, quo die Valentia capta fuit; peditatu Morellam, duce Petro Joanne Cantero, ſtrenuo juvene, præſidii cauſa miſſo, ac mœnibus vetuſtate pluribus in locis prolapſis; denique à Bonifacio Manriquezio de Lara, Legionis Præfecto, qui paucis comitantibus, in Caſtellam, à Rege accitus, ſe recipiebat, admoniti *ſuis rebus conſulere, nec ex eo Regis offenſionem ſubituros*, tandem litteras à Baſeto minacibus verbis ſcriptas cum accepiſſent, communem fortunam ſubire coacti ſunt. Fecere & aliquot oppida, quorum incolæ optima erant in Regem voluntate, quòd vires ad reſiſtendum non ſuppetebant. Quorum nomina ſuis locis memorabimus, ne oblitterata eorum memoria, nihil ſe egregia fide promeruiſſe ærumnarum, querantur. Segorbienſes verò, quanquam animis à Rege longè erant alieni, ac Baſeto ſe dedere vehementer cupiebant, tamen quia urbi ſatis amplæ indecorum eſſe videbatur, nondum viſis hoſtium ſignis in deditionem venire, vel ut in vulgus efferebatur, quòd Regiæ ditioni ſubjici, quàm privati Principis malebant, neutrarumque partium, liberæ in modum civitatis, imperio parebant. Sætabim, urbem trans Sucronem, civium frequentia, & amœnitate regionis, antiquitateque nobilem, unà cum arce munitiſſima, Nepos cum equitum globo à Baſeto miſſus, civibus ſe ultrò dedentibus, occupavit.

8. Per

Digitized by Google

8. Per id tempus, in ea Provinciæ parte, ad Ilicitanum Sinum vergente, nullus adhuc motus, accurantibus Murcienſi potiſſimùm, Ludovico Belluga, & Orcellenſi, Joſepho Turritano, Epiſcopis. Valentiam autem, dum hæc in Provincia gerebantur, quoniam legibus nullus erat locus, omnes ſcelerati impuratique undique confluxerant: vir bonus vix uſpiam, implentibus forum viaſque ruſticis armatis, ac meris hominum mendicabulis. Immutata prorſus urbis facies; ſummæ lætitiæ, quam diuturna quies pepererat, trepidatio ingens ſucceſſit. Siquidem perditi illi homines, quos malum publicum alebat, cum ſuis ſimilibus conjuncti, per urbem diſcurrebant, Nobiles, ac Regis ſtudioſos ad mortem depoſcebant, eorum bona diripiendi cupidine flagrantes. Et vel ipſi Archiepiſcopo, Antonio Cardonæ, in ejus ædes, perfractis foribus, irrumpentes armati, ſceleratis vocibus mortem intendebant. Honeſtiſſimi quique, qui eodem ſe receperant, ad Cœnobitarum ædes confugere: & quanquam locorum religionem pro munimento objiciebant, in ſumma tamen erant trepidatione, adeò ut per eos dies nemo bonorum, haud animæ viveret ſecurus. Ad hæc, mulieres nobiles, & quæ ab his turbis averſum gerebant animum, ſuo metu periculum metiri, afflictare ſeſe, omnia pavere, ac demum deſertis familiis, ad Sacratarum virginum gynæcea confugiebant, non ceſſante per eos dies æris campani Templi maximi pulſu, quò aliis terror incuteretur, cives, & agreſtes ad arma vocarentur. Archiepiſcopus igitur, & Prorex, Joſephus Ferrerius Almenaræ Comes, vir integerrimæ in Regem fidei, Joannes Caſtelvinius cum ſuis familiis, Vincentius item Monſorivius, Joſephus Salcedo, Philippus Ripollius Regii Procuratoris Aſſeſſor, Joſephus Sanzius, Emanuel Stephanus à Lacu, & ſi qui alii fuerunt,

Digitized by Google

runt, impetrata à Baſeto liberè abeundi facultate, uno commeatu Caſtellam profecti ſunt.

9. Sed quoniam nihil tam diligenter in tota hac narratione poſteritati commendandum, quàm eorum nomina, qui hac infidelitatis tabe minimè afflati, fidem ſuam illibatam ad poſteros tranſmiſerunt, admonet nos locus hic, ut eorum catalogum attexamus, qui Regia obeuntes munia, ut & fidei, & officio facerent ſatis, deſertis laribus, Urbe exceſſerant, in Caſtellam profecti. Et primus occurrit Joſephus Garcia Azovius, Archidiaconus Altipontis Diœceſis Segorbienſis, & XIV. Virorum collegio, quorum octo litibus judicandis præpoſiti, reliqui ſex capitales erant, Præfectus; Petrus Joſephus Borrullius, eximius Juriſconſultus; Petrus Domenechius; Vincentius Monſerratus; & Andreas frater; Bruno Salcedo; Franciſcus Deſcalzius; Franciſcus Deſpuigius; Petrus Major; Damianus Cerdanus; Vincentius Falco, & Blaneſius; & Alphonſus Burgundus; quorum duo, Andreas Monſerratus, & Vincentius Falco extraordinariam gerebant poteſtatem: Burgundus Regii Patrimonii Advocatus erat. In Urbe reſtiterant valetudine affecti, vel honeſtis neceſſitudinibus retenti, Vincentius Paſchalis; Eleutherius Turreſius; Franciſcus Fauſius, qui tres ſecundùm Baſeti adventum Magiſtratu abierunt. Unus defecerat ad Auſtriacos, quem ſupra memoravimus, Emanuel Mercaderius. Ærario item Regio Præfectus Chriſtophorus Villarraſa ad Urbem amicorum precibus, & familiæ lacrymis, tametſi invitus, manere compulſus fuit, & cum eo Hieronymus Frigola ſecundarius Procurator Regius. Verùm hujus Aſſeſſor, Philippus Ripollius, & Vincentius Monſorivius, ſecundarius Prætor Urbanus (quos ſuperiùs nominavimus) & ejus alter Aſſeſſor Ludovicus Salvator Pelegrinus (cujus collega Marcus Antonius

Pujadeſius ad Auſtriacas partes deflexerat) & denique Joannes Milanus Aragonius, Ærarii Regii Scriba, unà cum aliis, in Caſtellam abierunt ad Regem. Et quoniam privatorum hominum aliquis numerus tum ex nobilitate, tum ex plebe, vel ſponte, vel exilio ejecti, Urbe deceſſerant, ſuis locis eorum nomina quantùm diligentia comperiemus, memoriæ mandare curabimus.

10. Poſt hæc autem in Regis fidos, Galloſque, qui negotiandi cauſa, vel ſervitia exercendi, Urbem incolebant, ſævitum eſt: direptis namque bonis, in vincula conjiciebantur: perque Provinciæ regiones, Archiduci ſubjectas, id negotii demandatum eſt hominibus ex populi fece. Eruebantur ex omnibus latibulis, quos ad mortem vulgus magnis clamoribus depoſcebat; tamen contumeliis oppleti, ægrè ſervati ſunt, navigioque demum impoſiti, in Cathaloniam ſunt deportati.

11. Per eos ipſos dies, Baſetus, ut famæ inſerviret, quæ in novis cœptis validiſſima eſt, exiguum quod apud Civam erat præſidium, invadere, amolirique parabat. Eſt igitur oppidulum Civa XV. paſſuum millia ab Urbe Caſtellam verſùs diſſitum, ubi C. à Rege præmiſſi Equites Prætoriani, Antonio à Valle duce, excubabant. In hos autem omnem belli molem convertendam ratus ad XIV. millia Ruſticorum ex proximis agris, artificumque Urbanorum, ſclopis, gæſis, falcibus, ac bipennibus armatorum præſtò habuiſſe dicitur. Equitatus verò ex transfugis Cathalanis, quos ſupra docuimus, conſtabat, & paucis Prætorianis ex Proregis ſtipatoribus, qui in Urbe intercepti Archiduci militare fuerant coacti. His adjecit aliquos ſibi propinquos, & amicorum nonnullos DC. vix omnes numero. Amplum ſanè Exercitum, ſed hebetem, infirmumque, agri magis, & ſedentariæ diſciplinæ, quàm belli cultorem.

Præ-

Digitized by Google

Præterea ne quid ad juſtam oppugnationem deſideraretur, VI. carri tormentis muralibus graves agmen ſequebantur. His copiis propè Civam venit, ubi hoſtes in aperto loco ejus adventum animis præſentiſſimis opperiebantur; quos conſpicatus, ſubſiſtere agmen, aciemque, quod præ armatorum imperitia fruſtra tentatum eſt, inſtrui juſſit. Mox præmiſſi Equites inauſpicatò prælium ineunt, ſiquidem primo congreſſu Regii quanquam XXX. tantùm erant numero Equites, qui exploratum præceſſerant, diſtrictis gladiis, Baſeto cognatione propinquum juvenem obtruncant, nebulonem item magnum, nomine Barcum, graviter vulnerant: reliquos verò ruunt, agunt, proterunt. Extemplò diſpalatur ingens illa hominum multitudo per agros, gladiorum metu trepida, & Ducis exemplo, qui ubi vidit malè ſibi habere principia, totis habenis in fugam vertitur, Regiis à tergo nihil inſtantibus, quòd verebantur inſidias. Itaque paucis deſideratis, vulneratiſque nonnullis, & uno manno Regio capto, ad ſuos penates ſe quiſque recepit. In Urbem igitur reverſus, Prætorianos, quòd ex eo numero ad hoſtes nonnulli transfugerant, ſtatim exauctoravit. Deinde per ſuos adminiſtros in vulgus ad nova quæque erectum, materiamque ſermonis avidè arripere ſolitum, efferri curavit, ne quid gravius accideret, quo rerum ſumma in periculum veniret, infecta re, ad Urbem revertiſſe, quam tot proditorum, iniquis animis Caroli imperium ferentium, inſidiis videbat obnoxiam. Et ne populi animi laberentur, novam quotidie ſermonis anſam præbebat, quæ turbellas, & circulos abundè aleret, reverà ipſe interim diſtractis proſcriptorum Civium, Gallorumque bonis, & mercibus, quæ apud Fiſcum ſcribi curaverat, pecuniarum ſummas auferebat benè grandes. Erant tamen qui ad haſtam publicam nollent accedere, ob

Digitized by Google

rerum inconſtantiam, quam proſpiciebant, & repetundas res fore. Opimam etiam nactus eſt prædam quadruplatoris indicio, quorum ingens tunc hominum multitudo, Pozoblanci ſcilicet ſuppellectilem, quam Bruno Salcedo domi occultaverat. Nonnullorum ædes, qui Urbe exceſſerant, violatis deditionis conditionibus, expilavit. Et quoniam ſcelere parta ſæpe ſunt ſceleribus munienda gravioribus, à rapinis ad contumelias Nobilibus, qui in Urbe reſtiterant, inferendas ſe vertit. Siquidem per publicos præcones edixit, ut, qui deſertis penatibus in Cœnobia confugerant, ad eos rurſus, graviore pœna indicta, redire vellent. Lectiſſimas etiam feminas, quæ intra Sacratarum Virginum clauſtra tumultuantis populi metu perculſæ ſe incluſerant, inurbanè perquàm eodem Edicto exire inde coëgit, nihil penſi habens decorem ſexûs, & Nobilitatis dignitatem. Præfectos aliquot militum, & Andream Coppolam, Conzani Principem Neapolitanum, ſpretis, habitiſque peſſum deditionis conditionibus, intra Urbem captos, unà cum Zugniga, & ſociis, navi impoſitos, Barcinonem ad Archiducem miſit. Corvinum in vincula conjecit publica, mulieres verberibus affecit, homines, erectis in diverſis Urbis locis patibulis, leviſſimas ob ſuſpiciones ſuſpendio necavit, feralia quoque tabulata Nobilium cervicibus reſecandis conſtravit. Denique omnia divina, humanaque permiſcente homine illo immaniſſimo, tot ac tanta mala ſubiere boni Cives, monſtroſa dominatione oppreſſi, ut ea ſit pronius dicere, quàm abſolvere.

12. Hoc tractu temporum Joannes Jonas, natione Gallus, ex iis qui olim fuerant ab illius gentis Rege, ob hæreſeos crimen, Regno pulſi, & Britannorum Reginæ militabant, Provinciam intraverat per Ilercavones, quà Valentini Cathalanis collimitantur,

tantur, cum equitibus L. & Ruſticorum manu ex Cathalanis, & Binaroſiis coacta, Archiducis imperio populos, ob eorum animos in Regem malè affectos, facilè parere jubens, Caſtulonem uſque (Caſtellionem dicunt alii) oppidum ampliſſimum, & à Rege longè alienum. Morellam autem oppidum, uti trium Regnorum colliminium, manu, & natura loci benè munitum, & præſidio ex delectu Provinciæ ſatis firmum, fruſtra per litteras tentavit. Siquidem eò occurrerat à Prorege miſſus Rahalius initio motûs cum Joanne Bergada, Equite notiſſimo à Valentia, qui mox oppidi, & arcis mœnia reficere inſtituit, & quinque tormenta temerè longa pace jacentia rotis impoſuit, multaque in defenſionem oppidi comparavit neceſſaria admodùm, & opportuna: quod oppidum ſecundùm Rahalis abitum tenuit Andreas Deona, vetus miles Valentinus: Peninſulam verò, de loci natura ſic dictam, mœnibus, & propugnaculis, tormentis, & armis omnis generis, & quod erat maximum, oppidanorum fide, quibus præerat Sancius Ecievarria, vetus miles à Cantabria, nuper ad eam miſſus ex Prætorianis cohortibus, uti egregiè defenſam, facilè prætermiſit. At dum per eam regionem verſatur Jonas, tot oppidis in deditionem acceptis, Chriſtophorus Moſcoſus, Turrium Comes dictus, cum IV. millibus equitum, peditumque, duriſſimo anni tempore, ipſis ſcilicet brumæ diebus, ex Aragonia movens, ad Valentiam iter habebat, ut exortum motum armis compeſceret. Quod Jonas ubi ſenſit, Sanmatthæum, oppidum ſatis firmis mœnibus circumdatum, cum illa, quam ductabat, manu occupavit, ejus profectionem moraturus. Ille verò ne hoſtem à tergo relinqueret, oppidum oppugnare decrevit. Interim oppidani, præmiſſis nunciis, de ſuo periculo Baſetum faciunt certiorem, ac ſummis precibus ſibi orant

Digitized by Google

auxilia mitti. Qui, cognito ſuorum diſcrimine, omnes qui per ætatem arma capere poſſent, ex ea Provinciæ parte in Cathaloniam vergente, ad loca Sanmatthæo vicina convenire edicit armatos, quibus Joſephum Nicolaum Valentinum, qui aliquot ſtipendia fecerat, præfecit. Cæterùm illa hominum multitudo, quòd æquè hoſtis metu, atque commeatûs penuria laborabat, nec militiæ patiens, nec juſtis armis inſtructa, duci parere haud obſcurè detrectabat. Quæ omnia, quanquam ad contumeliam potiùs, ac certam cladem accipiendam, quàm ad ferendam obſeſſis opem, tendere videbantur, tamen ea erat hominum amentia, ut Regiorum agmen fame ferroque clauſum teneri, perſuaſum haberent, eorumque metu liberam Provinciam evulgarent. Sed brevi falſò id nunciari compertum eſt. Nam, cum equitum globus, longiùs provectus, Salzadellam, tenue oppidulum, fame compulſus intraret, inque vaſa mellis inciderent rimabundi agreſtes illi, quibus etiam Provincialis equitatus conſtabat, repentè pauci equites Regii eos in inſidias temerè illatos, invadunt, nonnullos trucidant, capiunt alios, reliqui præcipiti fuga domum reverſi, rem malè geſtam nunciant, quo nuncio omnium animi turbantur, ac penè deficiunt, qui paulò ante hoſtis vires tantoperè elevabant. Nicolaus autem perterritam multitudinem, nec abſque metu ipſe, in locis tutiſſimis tenebat, & longè ab hoſtium caſtris diſſitis, ne ſi propiùs accedere conaretur, à Ruſticis deſertus, majorem contumeliam acciperet. Moſcoſus autem cum animadvertiſſet obſidionem neceſſariò in longum produci, quòd mœnibus demoliendis nulla ſuppeterent tormenta, cuniculis ad murum actis, irruptionem parabat. Quod cum minùs ex ſententia eveniret, imbribus pertinaciſſimis in ſingula diei tempora totam circum regionem implentibus, tædio

dio affectus, & quòd apud oppidum ſuis rebus parum opportunum diutiùs hæreret, indignatus, cum omnes illas regiones ſibi haberet infeſtas, & Britannorum auxilia ex Cathalonia, quæ tota in Archiducis imperium conceſſerat, jamjam adeſſe nunciarentur, ſoluta obſidione, caſtra movit, Valentiam verſùs iter faciens.

13. At ubi adventare copias vulgatum eſt, trepidari ab omnibus, concurſari, pars ad aſpera montium erepere, alii in abditis vallium ſeſe occultare: qui cum Nicolao reliqui erant, longè ab itinere quod Regii tenebant, diverſi abiere. Tantus terror gladiorum erat, poſt cædem ad Salzadellam factam. Intraverat tunc Valentinam Provinciam Carolus Peterborwius Comes, ſummus fœderatorum Imperator, natione Britannus, ut ſuo milite opportuna loca tueretur, copias, importuno Baſeti facinore, diſtrahere coactus, & belli rationem capta Barcinone initam mutare, quod Auſtriacis rebus, & Fœderatorum quam attulerit difficultatem, poſtea docuit eventus. Hic autem dum copias cogit, Moſcoſus profectionem maturans, Borriolium pervenit, oppidulum in ipſis montium faucibus aſperrima inter ſaxa poſitum, cujus major incolarum pars, diverſi cum ſuis ſarcinulis, & familiis, in locos difficiles abierunt. Idcircò milites, qui illos tantùm hoſtium loco habebant, qui deſertis laribus eorum conſpectum vitabant, fuga cultorum deſerta in tranſcurſu diripiunt. Inde digreſſi, ad Planitiem, unde regioni inditum nomen, deſcendunt, quæ in modum vaſti maris ſic immenſa panditur, ut eam oculis terminare vix queas. Dum verò proficiſcitur agmen, proripitur lixa impuratiſſimus, qui per ſummum ſcelus pyxidem ſacram ex adytis rapuerat. Hunc Moſcoſus ad ſupplicium è veſtigio trahi, ac militari ritu ſclopis laxatis juſſit interimi, reddita ſacris altaribus pyxide. Caſtellionem

Digitized by Google

ſionem autem ad lævam relinquens (quod oppidum operibus benè munitum, & multitudine armata egregiè defenſum ab Hiſpano tentatum non fuit) ad Villæregalis pontem, quo fluvius ſatis altus, Idubeda (Millarſium incolæ vocant) jungitur, appetente meridie, pervenit. Sed cum non abſque dedecore Regii nominis illac copiæ tranſire viderentur, quin oppidani patentibus portis in deditionem venirent, leniùs id quàm fert militaris mos, cum illis agi cœptum eſt, & Moſcoſus Regiæ auctoritatis interpoſita fide, omnem maleficii impunitatem benignè pollicebatur, modò ad ſanitatem redire vellent. At Ruſtici homines, nec Regiæ clementiæ Interpretis verbis quicquam flexi, nec armatorum ſpecie deterriti, imperata facere ſuperbè detrectabant; & quanquam aliqui ſanæ mentis oppidani, æqua eſſe, ac lenia poſtulata, popularibus perſuadere contenderent, nihil ab ipſis impetratum eſt, negantibus ex familia Alberola præcipuè hominibus. Imò, quoniam qui ſemel defecere, à nullo prorſus ſcelere abhorrent, in ipſoſmet pacis, & honeſtæ deditionis auctores, ſclopis laxatis ex mœnibus, mox in militem ante portam eorum conſilium præſtolantem, violatis induciis ante pactis, quibus bona fide ceſſatum erat, eadem impia arma converterunt, ac inopinantes, imprudenteſque vulneribus affecerunt. Moſcoſus autem nihil tale veritus, ut ſtrepitum hauſit armorum, Divi Paſchalis Templum ingreſſus, ejus lipſana veneraturus, quid eſſet ratus, in ipſo negotio conſilium capit, jubetque extemplò oppidum invadere. Subitò, toto agmine ad arma conclamatum eſt, ac portarum foribus ſingulari militum ardore dejectis, Vaſcones, qui eo die primum in acie locum obtinebant, compluribus vulneribus datis, & acceptis, acriter urgentes in oppidum irrumpunt. His ſuccedebant Belgæ Walones, & Caſtellani pedites

Præ-

Digitized by Google

Prætoriani, qui unà cum Vaſconibus catervatim, uti opportunitas erat rei gerendæ, per ſtrata cadavera pervadentes, in oppidum penetrabant. Equitatûs pars, ut laborantibus peditibus ſuppetias ferrent, juſſit, relictis equis, peditum operam præſtare: alii, ut quiſque intrabat, ad forum occupandum, uti erat imperatum, citato equo pergebant. In ipſo aditu Comes Ruſelius cadit, ictus ingenti lapide, ad uſum ſalis terendi comparato, quem mulier virili audacia è feneſtra præcipitavit. Intereà deſperantes quicquam armis poſſe, de muro ſe dejecerunt, qui promtiores in repugnando fuerant, & fuga paſſim per agros ſaluti conſulebant, nota diverticula petentes: quorum alii in equitum ſtationes circum oppidum diſpoſitas incidunt, atque immiſericorditer trucidantur: reliqui meliore ſorte ad vicina oppida per devios tramites confugerunt. Intra mœnia militaris furor in rebelles ſæviebat, nec armato, nec inermi locus erat ignoſcendi; vicatim domos eripiunt, haud factum id tamen abſque vulneribus, repugnantibus earum dominis in rabiem verſis. Cumque jam ~~ſatis magna~~ præda eſſent potiti, ad faces, & incendia itum eſt, flammarum compendio extremam victoriæ manum impoſituri. Mox ingens oritur clamor eorum qui in abditis locis flammis intercepti aſſabantur: quos inde exilientes excipiebant Belgarum cuſpidati ſclopi nullius miſerentium, qui ex morte optimi civis Ruſelii concepto odio, dolori ſuo tot hominum cædibus indulgebant. Hiſpani verò celeriùs mitigati, uti manus cædibus minùs gaudentes, quanquam Vaſconum Præfectus, Michaël Sinocheinus, magno natu vir, lethale vulnus acceperat, impacta in renibus glande, ex quo paulo poſt Sagunti interiit, tamen multis ſaluti fuerunt. Sacerdotes etiam armatos VII. qui miniſterium negligentes, crebra armorum diſploſione mili-

 tem

Digitized by Google

tem infeſtabant, illa clades abſumſit. Mulieres ad Templa confugerant, multaque imbellis turba, quorum incolumitatis, & pudoris egregiè habita eſt ratio. Sacratæ Virgines per primores Ductorum, & Legionarios Curiones è Cœnobio eductæ, ne circumlambentibus flammis ædificium, gravius aliquid paterentur, comiter perquàm, ac ſanctè habitæ, in locum tutum concluſæ, excubiis etiam diſpoſitis ad earum honeſtatem tuendam, noctem illam tranſegerunt. Poſtridie Nulas, indeque Segorbium ad Virginum Sacratarum ædes migrarunt, ubi per aliquot menſes commoratæ, ad ſua demùm reverterunt. Jam Moſcoſus receptui cani juſſerat, ac Præfectorum diligentia milites ampliùs ſævire vetantium, graviterque increpitantium, à cædibus, & rapinis abſtraxerat, cum mox ſauciorum vulnera obligandi ſucceſſit cura, cuſtodiendique ad CLXXX. viros, jure belli captos, ægris militibus ſubvehendis. In expugnatione, ac cæde non plùs quàm CCL. milites deſiderati ſunt. Oppidani verò cæſi CCXXC, fermè. Quæ victoria militi ſanè cruenta, eò fuiſſet magis, ſi aliquot oppidanorum vexilla, quæ Sanmatthæum auxilio fuerant profecta, populariųm ſuorum conſternationi interfuiſſent.

14. Poſtera die, collectis ſarcinis, Nulas verſùs agmen ire cœpit. Saucii, ſuccollantibus captivis, unà cum copiis ad prædictum oppidum perveniunt. Inde, curatis corporibus, de quarta vigilia caſtra movent, ac per pacatiſſimam regionem Saguntum proficiſcuntur. Ubi ventum eſt ad fluvium, qui præter id oppidum fluit, ſaxeo alveo torrenti ſimilis, quò proceſſerat multitudo Moſcoſo gratulatura, lætus oritur clamor Philippi nomen acclamantium, quo fidem ſuam erga Regem profitebantur. Magiſtratus, & Equeſtris cenſûs qui erant, Moſcoſum intra mœnia deducunt, ac honorificè hoſpitantur: po-

populus ductores ſumma cum hilaritate intra tecta cogit: ſaucios in valetudinariis collocant, in eiſque publica impenſa curandis, Magiſtratûs, populique ſtudium eluxit.

15. Sequenti die, levi præſidio relicto, ad oppidi, & ſauciorum cuſtodiam, cui præfecerat Balthaſarem Abarcam, impigrum juvenem, agrum Valentinum vicis, ædificiiſque, & feracitate regionis opulentum intrant: in cujus parte, inter Aquilonem, & Occaſum vergente, conſederunt, ad Vicum, qui Moncada incolis dicitur. Litteras inde ad Urbis, Regnique Magiſtratus dedit Moſcoſus, optimis monitis plenas, quibus *integra fide de Regis clementia benè ſperare jubebat, ſi populus ejus ſe vellet ditioni ſubjicere.* Sed interceptis à Baſeto litteris, penes quem, & Populum maleſanum, ſumma erat imperii, nec reddidit, cum gravi Magiſtratuum offenſione, nec quicquam ſani conſilii reſpondit. Quapropter à verbis ad arma itum eſt, quando improbi pœnis potiùs, & coërcitione, quàm ullo humanitatis officio à maleficiis deterrentur.

16. Præter Urbis mœnia fluit Turia, fluvius amœniſſimus, cujus beneficio mirum in modum agri fecundantur. Aquarum igitur vim omnem per varios meandros, niloſque irrigationibus derivatum ad fluvii alveum reduxit, incilibus, quà derivatur, ſubtrahiturque, multa gleba, lapidibuſque obſtructis, perfractaque tranſverſa in flumine mole lapidea, ut liberè fluente ad mare aqua, omnem ejus commoditatem obſeſſis eriperet. Quod Baſetus haud leve incommodum, & Urbi, & Ruſticis commilitonibus eſſe reputans ob annonæ caritatem, ac penuriam, moletrinis aquarum decurſionibus fraudatis, & agris, humore deficiente, areſcentibus, eos cœpit tormentorum pilis impetere, qui in opere verſabantur. Id fruſtra cum diu feciſſet, cominùs rem ge-

rere

Digitized by Google

rere ſtatuit, ac ita Regios inde amoliri. Igitur coacta Opificum, & Ruſticorum manu, qui undique confluxerant, ea fama permoti, fore ut nullo negotio fugacem militem caperent, ad Burjazotum, vicum Urbi proximum, ubi adveniunt, prædam, non prælium cogitantes, inter arundineta, ac poſt macerias hortorum, homines in inſidiis collocat. Nepotis equites in tres turmas diſtributi in aperto loco explicantur. Præſenſit fraudem Moſcoſus, qui ea loca cum CC. equitibus venerat exploraturus: & cum loci iniquitate equitatus impediretur, ad æquiora, & equitabilia deflexit. Quod ubi Ruſtici ex inſidiis vident, ſubitò in equitem clamore ſublato tanquam in fugientem feruntur. Caſtellanus verò in aperto turbam illam conſpicatus, ſigna converti juſſit. Extemplò mira equorum celeritate circumventos cædere cœperunt: quorum permulti quanquam abjectis armis ſuppliciter manus tendentes, perque milites ſacra numina obteſtantes, mortem deprecabantur, tanquam rebelles, ac perjuri, fuerunt crudeliſſimè trucidati. Cæterùm pecorum ritu, licet à cæde Moſcoſo ceſſare jubente, dum Ruſticos avidiùs mactant, equites Cathalani integris adhuc viribus, Nepotis, & Baſeti exemplo terga vertunt, reliquam multitudinem per agros præcipiti fuga diſpalatam diverſa effugia exceperunt. Ad CL. dicuntur ea cæde periiſſe, præter aliam multitudinem vulneribus debilitatam. Baſetus ergo cum deſperaſſet quicquam ſe poſſe utile ſuis rebus vi, & manu efficere, ad Urbem muniendam ſuaptè natura infirmam ſe convertit. Itaque partes alias, ducto introrſùs muro, oppilavit, tormentiſque munivit; alias cum clauſiſſet, cuncta forma vallo, foſſaque extrorſùs ductis, præſepſit, erectaque ex materia tumultuaria munimenta ſuper tormenta impoſuit, ad oſtentationem potiùs defenſionis, quàm ad Urbis mu-

munimen. Certas cuique partes ad muri cuſtodiam attribuit, per quem, perque turres tormenta diſtribuit omnis generis: quibus rebus, ut apud vulgus omnia in majus celebrantur, imperiti homines nimiùm confidebant. Comportari quoque juſſit prægrandes lapides, ut occluſis arcubus pontis, quia mare nomen obtinuit, intra magnæ molis crepidines, quibus fluvius coërcetur, aqua ſtagnans pro munimento eſſet ad eam partem. Quod ſanè commentum, ſi effectum dare perrexiſſet, abs dubio Urbem, vel minimùm Suburbia inundaſſet, regionemque ſimul omnem ad mare pertinentem. Suburbana ædificia variis in locis oppidula referentia, perpulchra, atque magnifica, demoliri cœpit. Quæ res maximè funeſta, & lacrymabilis bonis Civibus, ni Peterborwii adventu fuiſſet impedita, Urbem, meliore ſui parte vaſtata, deformatam prorſùs reliquiſſet.

17. Dum hæc gerebantur, uno ſcribendi tractu prodenda optimè viſum eſt ſub uno aſpectu, quæ ultra Sucronem Franciſcus Avila, quem ad Dianii cuſtodiam Baſetus reliquerat, inde egreſſus, Ruſticorum, egentiumque hominum colluvie ſtipatus, deſignaverat. Hic igitur cum hujuſmodi manu, tormentiſque duobus Sætabim primum Conteſtanorum caput, Urbem, uti diximus, opulentam acceſſit, ut eam in deditionem acciperet, cumque haud longè à mœnibus caſtra poſuiſſet, quòd Cives illi ſe homini dedere moleſtiſſimè ferebant, tumultuatum eſt vehementer, & populus ad arma conſternatus murum implevit. Itaque ne aliquid utrinque intertrimenti acciperetur, eunt obviam Avilæ honeſti viri, eumque dehortantur in Urbem, negantibus id Civibus, penetrare ampliùs perſeveret, ſi cautum ſibi velit: in armis eſſe populum, ſatis Urbem eſſe munitam, optimè fore omnibus conſultum, ſi abſ-

Digitized by Google

abſque certamine inde diſcedat, remque integram Baſeto relinquat, apud Valentiam tunc temporis gravioribus negotiis diſtricto, in quem vulgi ſtudia longè eſſent promtiora. Nec multis poſtea tempeſtatibus à Nepote, quem, uti diximus, Baſetus miſit, occupatur. Avila verò quanquam ferocioribus dictis ab incœpto deterrere Oppidanos inſtiterat, tamen his rebus permotus, inde diſceſſit, Saxonam verſùs proficiſcens (quod oppidum, haud longè Alone poſitum, fidem erga Regem egregiè tuebatur) ut illud in deditionem acciperet; quod quidem aliter multò evenit: nam cum propiùs acceſſiſſet, eaque de re mandata daret ad Oppidanos, illi in ſententia perſeverantes arma corripiunt, hoſtem Oppido prohibituri; At Avila, ubi videt vera vi opus eſſe, aditum invadere jubet, quod fit à ſuis intrepidè. Reſiſtunt Oppidani, quibus in tempore affuturum auxilio promiſerat Corvinus, qui ante paucas tempeſtates fruſtratus vincula, Valentia ſe proripuerat, & ad ſuos reverterat. Pugnatur utrinque pertinaciter; ſed mox pluvia, quæ fortè intervenit, quoniam arma madebant, irritis conatibus feſſi, pedem referre hoſtes coguntur. Interim ex circumjacentibus Oppidis affluentia auxilia veritus Avila, Dianium revertitur, ubi cum per aliquot temporis ſpatium quietè egiſſet, rurſùs inde movet, & celeriter emenſo itinere, inopinantes, atque imparatos invadit majoribus copiis Oppidanos, qui deſperata patriæ defenſione, cedere loco ſtatuunt, & cum conjugibus, & liberis aliò migrant. Acceſſerunt primùm Villenam, Caſtellæ Urbem in confinio poſitam: cujus Oppidani nihil miſerati illorum hominum vicem, uti qui cauſam migrationis minùs probaſſent, finibus expulerunt. Qui inde Biarium intra Provinciam reverſi, haud procul Saxonam oppidum ſatis frequens divertunt, ubi publico conſilio de-

decernitur: *Placere hoſpitio excipi omnem multitudinem, & gratuitò ali.* Dum verò ibi commorati ſunt, qui per ætatem arma ferre poterant, centuriati, armatique cum oppidanis, & fines, & oppidum graviter tuebantur. Hoc oppidum (quod à Romanis Apiarium olim vocari putatur ob mellis præſtantiam) tenuit è Caſtella reverſus Archiepiſcopus Valentinus, quòd & fidem in Regem Oppidani egregiè colebant, & quòd intra ſuam Diœceſim perſiſtebat, ut Sacerdotii negotia jure poſſet adminiſtrare. Quo tempore arcis mœnia, quæ oppido imminet, pluribus locis vetuſtate prolapſa, reficere ſuo ſumtu, & quatuor, quæ Alone coëmerat, tormenta advehi curavit; ibique diu manſit, uſque dum majori belli mole oppreſſa Provincia, anxius animi, atque incertus, quid ſuis rebus faceret, cedere loco, atque in Caſtellam reverti, optimum viſum eſt.

18. Avila autem ubi Saxonam obtinuit, Alonem proficiſcitur, maritimam urbem Sinûs Ilicitani, Provinciæque nobile emporium, quam unà cum arce, quam habet in edito colle benè munitam, ac penè inacceſſam, ex improviſo facilè capi poſſe exiſtimaverat. Cum verò ad Urbem perveniſſet, eam oppugnare inſtituit; at cives licet imparati, ac nullo militari præſidio adjuti, imò contra, aliqua vulgi parte, & Nobilitatis malè affecta, tamen nuncium è caſtris Avilæ miſſum, ut oppidanis denunciaret, *ni brevi urbem traderent, flamma, ferroque iri graſſatum*, dimittunt, edicentes: *Si redeat ad Urbem, ad hoſtium ludibrium è muro pendulum ſciat periturum.* Et mox ad mœnia provolantes, latronibus reſponſo irritatis magno conatu reſiſtebant. Stabat tum fortè navis Gallica in portu, ex qua exilientes CC. armati, præſidio fuere opportuno oppidanis, qua ope adjuti, & hoſtem contemnebant, & inteſtinum malum frænabant. Collocaverat hoſtis bina tor-

tormenta in colle, quem Toſſalium vocant, terrendis potiùs civibus, quàm mœnibus demoliendis. Qua fulminatione, dum ædificia infeſtat, Medicum quemdam ſibi familiarem ferreo globo diſcerpſit. Interim fugientem è ſtabulis equum conſectati juvenes aliquot, oppidanos ſtrepitu, & clamoribus commoverunt, qui veriti per tumultum, & ſeditionem ab infidis urbem hoſtibus prodi, occurrerunt armati. Quo tempore muliercula, quam ipſe Avila familiariùs noverat, à proditoribus miſſa, *opportunitatem capiendæ urbis exponit; atque ſi eam invaderet, nihil fore negotii, ut ea potiretur.* Hoc nuncio accepto, cum nihil moræ interponere debuiſſet rebus agendis, adeò cunctatus eſt turpi quadam ceſſatione, vel fortaſſe ſibi cavens ab inſidiis, ut poſteà vulgatum fuit, ut dato animi colligendi ſpatio, loca omnia ſuſpecta oppidani firmis præſidiis munierint, & tormenta in hoſtem direxerint. Nec mora, erumpentes ex urbe hoſtem amoliuntur; retròque cedere cogunt ad Divi Joannis vicum, unde ad obſidendam urbem reverſus, in fugam rurſus conjicitur; ſiquidem adventante, in auxilium oppidi, Murcienſi Epiſcopo, cum MCCC. militibus ſubitariis; & Jacobo Roſellio, Rafalis Marchione, Orcelenſi Prætore cum MCC. quibus ſe conjungit Octavianus Mediceus, Sarni Princeps Neapolitanus, C. veteranis ſtipatus, tantum terrorem Ruſticis incuſſerunt, ut quanquam numero Regiis eſſent ſuperiores (ad X. M. confluxiſſe dicebantur) tamen relictis caſtris, diverſi fugam capeſſerent, adeò ut Avila ſolus fermè relictus, ad Dianium ſeſe recipere feſtinaret. Poſt hæc Regii caſtris potiti abſque vulnere, diverſi movent. Rafalius, ut vicina oppida ad Regis obſequium reduceret: Epiſcopus cum Sarno, ad oppidum in ea regione longè opulentum, Hontinentium dictum, quod à nonnullis diebus à Rege defecerat,

ut

ut illud reciperent. Cumque jam in conſpectu eſſent, inſanire oppidanos, atque ad arma conſternatos haud quaquam Regio velle ſubjici imperio, ſentiunt. Nec id primò agi cœptum eſt mitiùs, ut decuit, præſente Antiſtite; ſed ut eorum perfidiam frangerent Præfecti, crebra eorum tormentorum diſploſione, quæ fuerant in caſtris Avilæ reperta, repugnantes acriter urgent, qui brevi animos deſpondentes, ab incœpto deſiſtunt, ac Philippi nomen magnis vocibus ingeminant. Dum autem de deditione agebatur; erumpunt milites, & licet reclamante Præſule (etſi ſerò) oppidum diripiunt ſæviſſimè, oppidanoſque peſſimè habent, contra fidem datam, ut ferebatur, induciarum: juſſumque ut ni imperatam pecuniam ſtatim repræſentaſſent, in omnem ſexum, & ætatem ſævirent. Nobilium verò, & quorum animi infecti partibus minùs erant, quantùm fieri potuit, in oppidi direptione, ac militari tumultu, habita eſt ratio, ne communi rebellium odio, innocentes pro nocentibus pœnas penderent. Horum pars relictis propriis ſedibus, cum ſuis familiis aliò commigrarunt, ubi ſanctiùs Regis fides colebatur, quorum conſilium ſanè prudens ipſis ſaluti fuit, nam citra paucas tempeſtates, Avila, coacta denuò Ruſticorum manu, in ea invectus eſt loca, & oppidum hoſtibus vacuum, nihil ſe commoventibus oppidanis, malus ipſe amicus intrans, promiſcuè & ſuæ factionis, & alterius homines malè mulctavit, & quidquid erat reliquum, inſolenter admodùm, ac ſuperbè convaſavit. Demum per dies aliquot agris, vicisque divexatis, oppidis nonnullis in deditionem receptis, aliis minacibus litteris, & mandatis territis, per eam regionem latrocinatus, adeò ſe geſſit immaniter, ut longum eſſet moratim enarrare. Quapropter cum Peterborwius Valentiam

C te-

Digitized by Google

tenuit, ob furta, & latrocinia, aliaque flagitia in carcerem conjectus fuit.

19. Interim autem ſe loco commoverat Moſcoſus, quod otio, & quieti militum dederat eos dies, qui labore itineris, adverſiſque tempeſtatibus graviter erant afflicti. Dum ibi ſedet, Antonius à Valle, quem apud Civam conſtitiſſe diximus, ubi ſenſit, Moſcoſum propè Valentiam adeſſe, cum ſuis equitibus ad eum ire contendit. Sed cum ad pontem Sanct-Onuphrii, haud procul Quartium, vicum in agro Valentino ſatis amplum, acceſſiſſet, Ruſticos, qui diverſis ex locis convenerant armati, etſi pontem interrupiſſe, carroſque tranſverſim in via collocatos pro munimento objeciſſe, & ibi tanquam in ſtatione eſſe, militi tranſitum prohibituros comperiebat, tamen, nihil cunctatus, eos invaſit miſſilibus, quòd nihil cominùs quibat. At illi exterriti ferientium militum ſpecie, ſclopis in eos ſemel laxatis, protinus in pedes ſe conjecerunt. Itaque amoto Ruſticorum impedimento, conſtratis aſſeribus pontem reficiunt, & Quartium rectà proficiſcuntur, ubi cum incolarum animos ſibi infenſos animadvertiſſent milites, & hoſpitia illiberaliter parari, in eos irati, ædes nonnullas diripiunt, indedeque curatis corporibus, ad Moſcoſum ire pergunt.

20. Ea tempeſtate Joachimus Ponceus à Legione, Arcenſium Princeps, cum imperio, cui fuerat Regio decreto ante motum Valentinum deſtinatus, ad exercitum miſſus eſt. Cujus adventu perculſus Mòſcoſus, tradito Principi exercitu, Mantuam verſùs Carpetanorum proficiſcitur. Fuerat antea in ipſâ Regia palam profeſſus, ſe nunquam Arcenſium Principi dicto fore ſubaudientem, &, ſi ſe ad id vellent adigere, ſe protinus officio abdicaturum. Hinc fama

Digitized by Google

ſama fuit, ut Principis vitaret præſentiam, per ambages, & diverticula Valentiam exercitum duxiſſe. Sub hæc Reſtagnus Cantelmius, Dux Populi, Neapolitanus, cum aliqua manu ex iis militibus, qui Barcinone intercepti in Regii fide perſtiterant, & Britannorum navibus vecti, ad Bœticæ littora expoſiti fuerant, pedeſtri itinere ad Arcenſis caſtra pervenit. Cum autem Neapolitani haud procul à Quartio iter haberent, milites X. qui ſegniùs iter faciebant, imprudentes regionis, relicta militari via, eum vicum intrant: qui è veſtigio capti ab incolis, in direptionis ultionem duo interficiuntur: reliquos tanquam belli jure captos, ad Baſetum perducunt. Qua re condita, Arcenſis vicum jubet incendi, cujus ædes cum diripuiſſent milites, ſubjectis facibus, igne corrumpunt, nonnullis conſultò, ob dominorum in Regem fidem, ſervatis: quas poſtea Ruſtici ultioni indulgentes, eodem malo abſumunt.

21. Sed ad Baſetum in urbe clauſum, & auxilia exſpectantem, redeamus: qui crebris litteris, & nunciis Britannum ſollicitans, *ſe in ſummo eſſe periculo* ſignificabat. Tanto erat metu poſt cladem illam ad Burjazotum, ut etiam intra mœnia haberet ſuſpecta. Unde homines duos, tanquam hoſtium eſſent exploratores, ſuſpendio necavit: aliis (ſic fama fuit) intra carcerem laqueo gulas frangi juſſit. Sætabitanum item quemdam taurorum agitatorem notiſſimum, ac ſibi perfamiliarem, ob leviſſimam ſuſpicionem, quem patibulo jam deſtinaverat, dum ad ſupplicium trahitur, favor matronæ nobilis Vindici rerum capitalium eripuit. Mulierem ruſticam, quod calceamenta militi, hoſpitanti apud ſe, emerat, poſtquam publicis verberibus deturpandam dedit, ipſemet calcibus impetivit, urbeque ejecit, ac demum nexis carceres complevit. Hæc, & hujuſmodi

Digitized by Google

modi alia eò tendere videbantur, ut ſi quid in eum ingens vis hominum ex omnibus ordinibus erga Regem optimè affecti molirentur, ea ſpecie permoti, quæ animis fortè conceperant, neceſſariò deponerent. Quapropter multi ſe urbe proripuerunt, & Nobiles, & ex plebe, deſertis familiis, quòd Regis partibus cum viderentur addicti, vel Vulgi furorem, vel Baſeti ſævitiam fore aliquando ut effugere non poſſent, exiſtimabant. Quin, & Parcentii conjux, Melcia dicta, accepto nuncio, virum à Regia rediiſſe, & ad exercitum adeſſe, ruſtico indumento dignitatem occultans, ne Archiducis imperio pareret, ſibi admodùm ingrato, ex urbe ſe ſubduxit. Quæ excepta à Mahonio Equitum Præfecto, qui ex compoſito eam poſt ſuburbia cum equitum globo opperiebatur, ad caſtra, virumque deducta eſt.

22. At Peterborwius certus eundi, poſt ſolutam Sanmatthæi obſidionem, omnibus itineri, bellique pariter fortunæ paratis viæ militaris oppidis, commeatus paratos militi ad veſcendum, miſſis ab uſque Cathaloniæ finibus, litteris imperat, ne quid eſſet in mora ſibi Valentiam properanti. Ubi autem Caſtellionem pervenit, datis militum quieti diebus aliquot, dum ipſe equitatum, quo minùs poterat, augere ſtudet, ad Baſetum defertur, Caſtellionem veniſſe Britannum, cum copiis: unde Nepotem cum ſuo equitatu miſit ad eum recipiendum, quo Valentiam tutiùs ob Regiorum propinquitatem perveniret. Itaque Cathalanus de prima vigilia ex urbe movens, per oram maritimam vitabundus, ne Saguntino præſidio proderetur, per totam noctem ire perrexit. Poſt exortum ſolis, Almenaram, nihil tale opinantibus oppidanis, acceſſit, evocatiſque Magiſtratibus, pro Auſtriaco ſtare juſſit. Mox Nulas occupat, ibique dum Britannum opperitur, Caſtel-

lione

ſione ruſticorum caballos cogentem, oppidanis arma tradere jubet: queis, quòd Regis eſſent ſtudioſi, parum credebat.

23. Per eos ipſos dies multorum confirmatione nunciari cœptum eſt, Britannorum copias Sagunti, ob præclaram oppidanorum fidem, excidio venturas: quibus rumoribus permoti Magiſtratus, & Præſidii Præfectus, Arcenſem, Moncada ſe continentem, ſuppetias oratum miſerunt: qui extemplò C. equites cum Melchiore Portugallio, ſecundario alæ Præfecto, imperat Saguntum proficiſci. Hic, cæſis aliquot Cathalanis latronibus, pecora ex agris abigentibus, eorum audaciam haud parum repreſſit. In eruptionibus Saguntini qui arma habebant, equitibus permixti, egregiam navabant operam, adeò ut non ſemel Portugallius eorum fidem, virtutemque, in præliis capeſſendis, pro concione laudaret.

24. Hac tempeſtate ex Aragonia nonnulli ordinum, & milites XVII. numero, multam veſtem in ſupplementum exercitui comparatam deferentes, Segorbium pervenerunt. Quos cum intra tecta recipi negarent Magiſtratus pati poſſe, abſque populi inſanientis tumultu (quod eadem de cauſa negatum etiam Pozoblanco paucis ante diebus cum ſuo equitatu in caſtra iter facienti) illi ſarcinas deponere apud Magiſtratum, interpoſita chirographi cautione, quàm in itinere earum facere jacturam, ſatius eſſe rati, faciliúſque expeditos, armis, virtuteque poſſe ab injuria latronum defendere, inibi eas relinquunt, ac nocturna profectione ſub auroram, Saguntum, milite leviter ex inſidiis ſaucio, reliqui omnes incolumes tenuerunt.

25. Eodem tempore advenit Daniel Mahonius, quem ſupra memoravimus, natione Hibernus, qui jamdiu Regi militabat, cum ſua equitum ala ab Ar-

Digitized by Google

cenſe miſſus præſidii firmioris cauſa, ne quo malo illud oppidum fide inclitum ab hoſtibus iratis afficeretur, unàque qui graviter decumbebant, ex vulneribus ad Villamregalem acceptis, milites ſervarentur. At quaſi ex compoſito eodem die qui fuit IV. nonas Februarii, ineuntis anni MDCCVI. ad Sanguntinorum fines pervenerat Britannus cum IV. millibus Veteranorum, & Latronibus Cathalanis ad duo millia: genus hominum rapto vivere aſſuetum, & uti feri, & agreſtes homines diſciplinæ militaris haud quaquam patientes. His etiam Ruſticorum non ſanè modica frequentia ſponte ſua ex Vicis, & Caſtellis agro Saguntino circumjacentibus, qui in deditionem à Moſcoſo accepti, ſtatim poſt ejus diſceſſum, redeuntes ad ingenium, rebellaverunt, ob vetus in Sanguntinos odium, conjunxerant ſeſe prædandi libidine. Britannus autem eo loco juſſis conſiſtere copiis, quod jam ante anxiè quæſierat, eſſet ne aliud iter ad Valentiam, præter illud per Saguntinorum ſuburbia? Rurſus rogat: cumque nullum eſſe aliud ſatis commodum accepiſſet, regredi paulisper copias, ac per vicos proximæ vallis diſtribui imperat per hoſpitia, latronum manum cum paucis equitibus Saguntum verſus præmiſit, ut ſi quid durius accideret, per eos fruſtrarentur prima diſcrimina. Cæterùm eam hominum multitudinem poſt meridiem ſpeculatores conſpicati, ſtatim Mahonium faciunt certiorem, qui mox tuba dare ſignum juſſit, & coacto ad forum equitatu, poſt alteram tubam eruptionem facit. Præceſſerant Saguntini catervatim, uti erant aſſueti, & cum animadvertiſſent latronum agmen ad montis radices tendere, qui eſt è regione oppidi, ut opportunum locum caperent, ut ne id facere liceret, ex agris ſclopis laxatis, eos invadunt, ac ita perturbant, ut extemplò jumenta, equoſque, ægrè tametſi, ac difficulter,

culter, præmitterent ad crepidinem montis. Mox conſpicati equitatum, qui in apertum campum ſe explicabat, ejus impetum formidantes, ſumma cum trepidatione diffugiunt per rupes, & cautes confragoſarum vallium, ac mira celeritate, niſuque ſeſe proripiunt, ac editiorem collem occupant. Quos inſecuti Saguntini, ac milites, *dracones* quos vocant (hi enim ubi uſus venit, relictis equis, eodem remanere veſtigio aſſuefactis, pedibus præliantur) per avia montis, vulneribus affecerunt. Verùm cum ultra procedere, ſuperiori loco ab hoſtibus capto, abſque certa pernicie fruſtra eſſet, montes circumeuntes, à tergo adorti, pugnam inſtaurant. Mahonius porrò, & Portugallius cum equitum parte, hoſtem eminùs, & ex tuto jaculantem, ad æquiora incaſſum laceſſunt, adeò equorum aſpectu erant territi, ut non alia re ſe meliùs defenſos, quàm rupium objectu exiſtimarent. Poſt venatorum ritu pugnam, noctis interventu, ab eo pugnæ genere ceſſatum eſt. Incruenta militi victoria. Portugallio ſagulum puniceum glande trajectum eſt, miles leviter in calce, Saguntinus in capite, ſaucii: pauci ex hoſtibus interfecti, quod nullam pugnandi fecerant ex æquo poteſtatem. Poſtridie verò cum reliquis copiis Britannus, omnibuſque impedimentis, relicta militari via, per montium radices, quà venerant latrones, itineri pariter, & pugnæ exercitu compoſito, Saguntum petiit. Ubi in conſpectu fuit, tumulum in mediis agris occupat, à fano Divi Chriſtophori nuncupatum, tormentiſque in eo collocatis, & militum præſidio, reliquas copias ad proximum vicum jubet conſiſtere. Interim Joſephum Periſium, Equitem Valentinum, quem Caſtellionis Prætura paucis retrò diebus ornaverat, cum mandatis mittit, ut deditionem maturarent obſeſſi, ſi vellent ſaluti conſultum. At Mahonius cognito Peterborwii adven-

Digitized by Google

tu, cum per turres, ac mœnia ſemiquaſſa oppidanos diſpoſuiſſet armatos, omneſque per ſuburbia aditus ſingulis equitum globis firmaſſet, ne ante datas, acceptaſque conditiones, hoſtes, atque inimici prædæ inhiantes, in ædes irrumperent, obtenta à Britanno colloquendi facultate, in caſtra receptus eſt. Ibi, dum ſeſe parant oppidani, hortanturque ad ſubeundam extremam belli aleam, tranſigitur res, deque omnium fortunis, incolumitateque abundè cavetur in hæc verba: *Oppidi portam Mahonius tradat Britannis de prima vigilia: ipſi cum omnibus militibus, impedimentiſque in ſua caſtra redire liberum eſto: qui in valetudinariis decumbunt, ubi convaluerint, ad ſigna incolumes deducuntor: oppidanis nihil moleſtiæ inferatur: hæc denique conditionum capita non niſi in deditorum interpretanda commodum accipiuntor.* Inde igitur reverſus Mahonius, portam Britannis tradit, remota oppidanorum ſtatione, qui ad eam excubabant. Sed cum rumor in vulgus increbruiſſet, Arcenſem cum omnibus copiis adeſſe cum hoſte dimicaturum, tollunt clamorem Saguntini in foro conglobati, Philippum V. acclamantes. Quo audito, Britanni, qui portam occupaverant, & qui per oppidum vicatim hoſpitia requirentes diſcurrebant, veriti oppidanorum impetum, effugere cœperunt. Qui tumultus per aliquos Regios Centuriones, oppidanorum animis deditionem indignè ferentium delinitis, ſedatus eſt, & quiſque, poſitis armis, domum ſe recipere juſſus. Præmiſerat Mahonius Villæregalis captivos, ſarcinaſque, cum equitum præſidio, quos ipſe, & Portugallius cum reliqua manu, poſt cœnam ſunt proſecuti, relictis Sanguntinorum curæ fauciis, de quorum incolumitate, & fortunis, interpoſita Peterborwii fide, proviſum fuerat. Miles intra mœnia receptus, latrones in ſuburbiis, ne oppidum in fide acce-

acceptum, uti erant animati, publicè diriperent. A furtis tamen, & rapinis per biduum temperatum non eſt, quandiu in oppido fuerunt copiæ: nec publicum, nec privatum uſquam ſatis tutum eſt. Cæterùm horum bona pars latronum cum eorum ductore Michaële Simone, ſecundùm Sagunti deditionem, quaſdam montium anguſtias inceſſum profecti, quæ ſunt in itinere Caſtellam verſùs (Bugnolii Capellas vocant) eo in loco inſidias tendunt, opperientes prædandi occaſionem. Dum ibi ſedent, carrum adventare conſpicantur ſerico onuſtum, aliiſque mercibus. Advolant Cathalani, ſpreto ducis imperio, qui periculum præſenſerat, & avidiſſimas manus mox prædæ injiciunt. Quod ubi advertunt equites, qui ad ejus cuſtodiam duodeviginti numero miſſi, longo retrò intervallo, nihil tale ſuſpicantes, ſequebantur, ſuppetias laturi equos concitant. Interim auriga defectis loris jumenta periculo ſubduxerat, deſertumque latrones carrum brevi expilant. At ubi ſentiunt appropinquare præſidium equitum, nihil repugnare auſi, quanta poſſunt, ſe fuga ſubtrahunt: ſed antequam ad aſpera montium poſſent erepere, præventi equorum pernicitate, circumventique, ad LX. ſæviſſimè trucidantur: reliqui loco magis, quàm armis freti, ſummis ſe jugis tutati, periculum evaſerunt.

26. Britannus autem Sagunto movens, oppidanis arma tradere juſſit, & relicto præſidio latronum, eodem die Valentiam intrat. Commodùm militem, quoniam Baſetus pecuniis parcens, quas undique corraſerat, quæ neceſſaria erant hibernationi parare neglexerat, intra Civium tecta, præter jus faſque, hoſpitiis per regiones paratis, recipi, atque ali imperatum eſt, graviſſimo totius Civitatis incommodo. Quodque gravius, artifices, relictis operibus, per vices ſuas ad mœnia, portaſque excubare

armati, ac victum gratuitum, uberioremque hoſpitibus, otio planè, ac vino deditis, apponere cogebantur. Latronibus Cathalanis ſuburbana ædificia, neſcio quo fato ſunt data, quippe qui more ſuo, & immanes turbas dederunt, & à re mala nequaquam temperarunt. Deinde ingentem hominum vim, quos Baſetus in vincula conjecerat, quòd in Regem libentiſſimis animis ferebantur, liberos abire juſſit Peterborwius, ſuo uſus animo placido, ac benigno. Ad hæc peſtilentiſſimi hominis tyrannide exacerbatos Nobilium animos, humanitate mirifica, comitateque captandos ſibi propoſuit: Sed nihil agebat hominis calliditas; nam fruſtra erat velle per illicia à Regis cultu, & amore, eorum alienare animos, quorum ratio ſtudiorum cum honeſto erat conjunctiſſima. Idcircò peractis urbanitatis officiis, ſeſe proripiunt Vincentius Bovillius Scalæ Marchio, Chriſtophorus Creſpinius Sumacarceris Comes, & Emanuel Ferrerius ex primoribus Equeſtris Cenſûs, cum gravi Peterborwii offenſione, adeò ut non ſemel de eorum diſceſſu publicè quereretur.

27. Dum hæc in urbe gerebantur, Arcenſis, qui in planitie ad Torrentium, vicum ampliſſimum, millibus paſſuum tribus ab urbe tetenderat, Britannum miſit ſalutatum, adventumque comiter gratulatum per primores ductorum, quos ipſe opiparè exceptos convivio, hilariter perquàm cum illis epulatus eſt. Quod factum apud vulgus rerum imperitum multi fuit cauſa ſermonis. Inde Arcenſis, cum per dies aliquot in eodem conſtitiſſet loco, expectans hoſtium congreſſum, ſi quid ejuſmodi facere eſſent animati; cum optata non evenirent, ad alias regiones pabulatum duxit exercitum, Turiæque ad ripam conſedit Villæmarcianæ dicti, è regione oppidi benè frequentis (quod Edetam alii, alii

Lau-

Lauronam olim dictum volunt, nunc Liriam appellant) cujus incolæ Regiis partibus uti infenſi, ex altera fluvii ripa per eos dies aſſiduis imbribus aucti, milites aquatum accedentes, glandium procella ſubinde infeſtabant. Quorum audaciæ, ſtoliditatiſque exegiſſet pœnas abs dubio Arcenſis, qui in eum finem jam disjunxerat non exiguam ab exercitu manum, niſi adverſæ tempeſtates fuiſſent impedimento, quæ per eos dies ſubſecutæ fuerunt, & quidem validiſſimæ. Inter hæc rediit cum imperio Moſcoſus ad exercitum, & Arcenſis in Regiam accitus fuit, aliis forſitan negotiis diſtinendus. Cujus facti veram rationem perveſtigare potuimus nullam: adeò enim aulicorum conſilia abſtruſa ſunt, ut ſi quis quærat rerum cauſas, haud quaquam invenire queat: Politicorum enim myſteria ſic arcano quodam modo celebrantur, ut nihil ſit ſanè operoſius, quàm in eorum ſacraria velle profanum ſeſe penetrare. Vulgus tamen militum fama pervagata eſt, veterem ductorem ægrè tuliſſe, Centuriones, ac Præfectos ab exercitu abeſſe, & in ejus locum Arcenſem ſuffici, quem tametſi ſanguine uti clarum, rerumque togæ egregiè peritum omnes ſuſpiciebant, ſagi diſciplinæ, ceu minùs aſſuetum ſibi imperare violenter ferebant. Verùm enim verò, accepto exercitu, Moſcoſus caſtra movet, & vicum paulò ſuperiùs poſitum (Petralbam vocant) quòd ejus incolæ armati unà cum latronibus militem infeſtabant, pontemque quo in illis locis Turia jungitur, interruperant, ut copias tranſitu prohiberent, diripi jubet. Hæc erat communis inſania populorum, unde tot cædes, incendia, rapinæ vaſtabant omnia. Superba ſiquidem, & ſtolida Ruſticorum natio ſibi perſuaſerat, ſuis viribus bellum ſuſtinendum, & vicum quemque, tanquàm munitiſſima caſtra, hoſti opponi debere. Quapropter dum ſingulatim, ſumtis armis, partes quiſ-

que tuetur ſuas, hoſtemque quoquo poſſunt modo infeſtare ſatagunt, præterquàm quòd nihil proficiunt ſuſceptæ cauſæ, in ſe belli molem inſuper convertunt, irarumque militum obnoxii perpetuis cladibus afficiuntur.

28. Inde ergò proficiſcens, ad Sucronis ripas copias duxit, quòd ea regio belli rationibus longè eſſet opportunior. Cumque eò iter haberent copiæ, Ruſticos Monſerrati incolas, & circumjacentium vicorum militi obviam ire, & imperata facturos polliceri, finitimi hortabantur. At illi Curionis deterius conſilium ſecuti, ad Baſetum ſuper ea re deliberatum mittunt, qui nihil eorum fortunas miſeratus, IV. millibus equorum pabula imperat, qui ad ea loca poſtridiè manè illis ſuppetias erant profecturi. Ea ducti fallacia, miſeri homines, & Curionis magnificis verbis, conſilio bono, & prudenti neglecto, ubi vident Regios adventare, auxilia nuſquam, deſertis domibus, ad montes diffugiunt. Quo certè militi fieri potuit commodius nihil, ſiquidem vicos ingreſſus, ſæviſſimè diripit, & ſubjecto igne incendit. Alcudiam mox occupat Moſcoſus cum equitum manu, perque viciniæ oppida, quæ Sucrone alluuntur, copias reliquas diſtribuit, ut ibi tanquam in hybernis interquieſcerent, dum deſævit hyems. Verùm vix eò acceſſerunt Regii, cum turbidus increbruit rumor in urbe, Algeciram oppidum, uti diximus, in Sucronis inſula poſitum, à certis oppidanis Moſcoſo penè proditam. Quam occaſionem Peterborwius nactus, quanquam ad illius arcis cuſtodiam præmiſerat Joſephum Nepotem, Raphaëlis fratrem, cum equitibus, & latronibus Cathalanis, Baſetum eò quoque mittit, ut Regios illi arci inſidiantes eludat. Et quidem hoc modo urbe extruſit, in qua eum capere, graviterque in eum conſulere, quòd jamdiu concoquebat, ob animorum vulgi

gi in eum conſenſum, haud facile factu videbatur abſque tumultu, & cædibus. Inviſus enim Britanno Baſetus erat, cum ob alia, cum ob facinora temerè ab eo, & abſque imperio edita, tum denique ob litteras quas ad Auſtriacum miſerat, quibus eum virum in multis calumniabatur. Cæterùm ab urbe profectus, haud multùm abfuit, quin à Regio equitatu itinere interciperetur; & ni profectionem acceleraſſet, nequaquàm hoſtium non eſſet potitus. Nam cum ab exploratoribus equorum turmas Regiorum moviſſe ex hybernis nunciaretur, relicto prandio, quod ſibi erat appoſitum, cum paucis equitibus vitabundus, plenis paſſibus Algeciram ire contendit. Mox oppidum munire, tumultuariis propugnaculis exercitatis, tormenta à Dianio advehere, & ſuis locis diſponere, aliaque ad defenſionem loci, quæ uſui erant, providere cœpit. Incolarum alios in carcerem compegit, ac demum metu, ac formidine complevit omnia.

29. Sed ut ad Urbem redeam, ſtatim ab adventu Britannorum, Proregis vices ut gereret, Cardonam, qui à Rege defecerat, cœca dominandi cupidine potiùs, quàm alia neceſſitudine actus, Auſtriacus Provinciæ præfecit; quem, tametſi Nobilitas ſemper fuerat ob immanem ſuperbiam averſata, eo auctum honore, qui reſtiterant ad urbem, obſervare, & colere ſimulabant, reverà ſævienti malo animos ſubmittentes, ejus fortunam verebantur, cujus imperium abſque graviori incommodo effugere non poterant. Quin & ipſiſmet, qui ad Auſtriacas partes deflexerant, erat ſanè inviſus, vel ob ingentem hominis faſtum, vel quia natura comparatum eſt, ut quos felicitas extulit, in eos invidia vehementer graſſetur. Hic cœpit primùm Ruſticorum equos canterios in equitatûs ſupplementum comparare, longè infra

ſra juſtam æſtimationem, reclamantibus dominis, quòd eriperentur jumenta, & pecunia non repræſentaretur (quanquàm ad eam rem ex publicis privatiſque locis depoſitam pecuniam violentis imperiis eruerat.) Porrò Nobilium animos ad publica munia ſuſtinenda ſollicitare: deformatumque reipublicæ ſtatum, tot virorum abitu, & potiſſimùm Collegii XIV- Virorum ad priſtinum ſplendorem revocare. Sed cum vix reperiretur qui publica munia ea tempeſtate, Auſtriaci nomine, vellet obire, penuria meliorum, ad obſcuros etiam homines, qui eorum obtinendorum cupiditate flagrabant, delata ſunt. Itaque Mercaderio, qui, & ætate, & generis nobilitate cæteros anteibat, XIV- Virorum Præfectura in præmium facinorum ceſſit. Id igitur ſtomachatus Cardona, per publicos præcones pronunciare juſſit: *Qui ſub ditione Caroli III. eſſe gravatè ferrent, ut, petitis ab ſe commeatibus, urbe excederent.* Sed quoniam fraudem ſubeſſe ſuſpicabantur, ac eo quidem animo id factum, ut ad veniam obtinendam accedentes, infenſos ſuis partibus apertiùs deprehenderet, atque fore uti navibus impoſitos in Cathaloniam deportare imperaret, commovere ſe haud quaquàm audebant. Et quidem talem rationem ab ſe initam poſt paulò docuit eventus, quippe alios exilio mulctavit, alios in carcerem conjecit: quorum Vincentius Carrozius, Miraſolis Marchio, tandiu hanc ærumnam ſubiit, quandiu civitas alieno paruit imperio. Fuere item alii diverſis temporibus in carcerem conjecti. Ex Nobilium cenſu Joſephus Noguera à Vinaroſio, Alexius Armengolius à Sagunto, Gaſpar, & Petrus Pujaltus ab Algecira, Petrus Ruïzius, & Gaſpar Dolzius. E plebe honeſti homines, Joannes Mignana, Maurus Ollerius, Mauritius Polus, & innumera alia multitudo ex Urbe,

be, & Provincia. Elapſi ex Urbe alii turbas, & tumultus peroſi. Alii in Caſtellam clanculùm profecti, quos inter Iſidorus Coſta Poëta elegantiſſimus, & alii nonnulli. Compinguntur etiam in vincula, ob furta & rapinas Baſeti, ſocienni, & adminiſtri, & quibus per Provinciam Gallorum bona perquirendi datum erat negotium. Latrones item Cathalani, quòd eorum ignaviam in velitationibus expertus fuerat Britannus, & quòd innumeris maleficiis Valentinorum animos exacerbabant, tanquam inutilem bello turbam, relictis, qui cum Nepote ad Algeciram erant, ultra hybernum remigrare coguntur. Raphaël autem Nepos per hos dies cum ſuis equitibus, Latronumque multitudine, ad Fontem Ficûs, quod eſt oppidum in ipſis Caſtellæ finibus poſitum, proficiſcitur, quo in loco præſidiarii erant D. ex recenti delectu in Murcienſi Provincia habito, ut, ſi hoſtes ea loca invaderent, eorum curſum morarentur. Eò cum perveniſſet, ante oppidum Cathalanus tetendit, ab oppugnatione tamen, quam perſpecta præſidii fide, animique conſtantia, haud incruentam fore rebatur, prudenter abſtinuit, obſeſſos, interciſo canale, quà intra oppidum derivatur, aqua prohibere contentus. Quo facto non modò pecora, & jumenta, verùm ipſi homines ejus penuria adeò laborabant, ut non ſemel infuſo vino carnes elixarent, ac farinam ſubigerent. Quod incommodum tantam attulit ſalutis deſperationem, ut neceſſitati cedentes, arbitrio ſeſe victoris permiſerint. Deditione facta, præſidiarii armis exuti, Valentiam, ceu jure belli capti, perducuntur, atque in arctiſſimam cuſtodiam dantur. Ex his multi, quos inter viri Nobiles, & itineris labore, & ſqualore, tædioque diuturnæ cuſtodiæ, ad extremam uſque maciem afflicti interierunt. Reliquis verò Sacerdotum beneficio, & piorum hominum largitate vitam

Digitized by Google

tam tolerare licuit: qui poſteà cum Villæregalis captivis, qui apud Requenam ſervabantur, permutati, aliquandò ad ſuos penates redierunt.

30. Hoc igitur ſucceſſu elatus Nepos, ipſum Moſcoſum negligentiùs agere ratus, adoriri inſigni ſtratagemate conſtituit. Itaque communicato conſilio cum Britanno, Regiorum Ducem ad Alcudiam ſacris Anaſtauroſeως Servatoris noſtri ceremoniis intentùm, ſi fortuna cœptis arriſiſſet, ſubita irruptione opprimi, & capi poſſe, vel aliqua contumelia affici, ſibi perſuadet. Nec cunctatus Britannus Cœnæ Domini ſacro die, cum delecta ſuorum manu, eò pergit ire ſub veſperam, & cum ſatis tempori ad conſtitutum locum acceſſiſſet, ſubſiſtere agmen, ibique ſilentium agere juſſit. Nepos verò noctu Algecira, ubi reſtiterat poſt expugnatum prædictum oppidum, cum ſuis copiis, comite Baſeto, & ſuis Ruſticis armatis, aggreditur, ut Regios imprudentes ex altera parte invadat. Suboluerat fortaſſè res Moſcoſo, vel quia mos eſt militaris, id certis diebus facere, vigilum ſtationes mutaverat, & numemerum auxerat. Conſtiterant in prima ſtatione XII. equites, qui audito adventantium ſtrepitu, arma expediunt, reique gerendæ animos intendunt. Cæterùm ubi ad primam ſtationem hoſtes animo fallendi accedunt, cum ad teſſeram militarem minùs aptè reſponderi ab ingruentibus animadverterent vigiles, eos ſubſiſtere jubent. Extemplò detecta fraude, aliud & ipſi ſtratagema commenti, ampliores ſimulant adeſſe copias, & magnis vocibus in hoſtium latus impreſſionem facere, tanquam verè hortarentur commilitones, inclamant, laxatiſque ſclopis, retrò ad ſtationem ſubſidiariam, in qua XXV. erant equites, ſeſe recipiunt. At hoſtes ſubita correpti formidine, diverſi fugam capeſſunt: atque adeò perturbati proſpectu tenebris ademto, ut ipſos fugæ ſo-

ſocios, Regios eſſe rati, ac ſeſe inſectari, per vineta egerint equos, qui paſſim cæſpitantes, ſeſſores turpiter excutiebant. Quo malo graviter afflicti, relictis equis, ſtudio accelerandi pedibus evadebant. Moſcoſus, qui frenatos equos perpetem noctem in oppido eſſe edixerat, re cognita, itineribus à tergo occupatis, conatus fuit hoſtes reditu prohibere; ſed eorum fuga præmatura præventus, pauci cæſi, captique ſunt. Nepos poſtridiè cum à via aberraſſet, albeſcente die propè Valentiam venit. Multi ad vicos agri Valentini confugerunt: reliqui antè lucem Algeciram rediere. Et Britannus cum à fugientibus rem malè geſtam cognoviſſet, iratus in Nepotem, expeditionis auctorem, ad Urbem citatiſſimo curſu revertitur. Regii denique, ubi illuxit, cognita hoſtium perturbatione, ac fuga, per agros ſpolia, equosque deſertos legerunt, perque omnia absque ullo hoſtium incurſu, liberè vagati ſunt.

31. Nec alia tunc temporis in Ilercavonibus erat hoſtium fortuna. Eſt in ea regione Peninſula, ſaxeum ſcilicet immane monſtrum in mare procurrens, quod ambitu ſuo mille paſſus colligit; & brevi adeò terræ ſpatio cum continenti committitur, ut ſæpiùs excreſcentibus fluctibus prorſùs abeat in inſulam. Arx eſt in montis jugo munitiſſima. Oppidani ejus montis partem, quæ declivis eſt, inhabitant ad occidentem, in quam unus omninò aditus è continenti egregiis munimentis firmatus eſt: quodque maximum dici poteſt inter naturæ miracula, fons aquæ dulcis intra mœnia, interfluente mari, erumpens ex ſaxo in uſum tantummodò oppidanorum, & arcis, cum ſeſe protinùs in ſalum effundat. Hanc autem Peninſulam, & natura, & manu adeò munitam (ut ſuperiùs demonſtravimus) uti univerſo illi tractui imminentem, cum per ea loca tranſiret Britannus Valentiam proficiſcens, poſitis antè eam caſtris, in dedi-

tionem accipere tentavit. Itaque cum caduceatorem miſiſſet, *ut ſeſe vellet dedere Eciavarria*, qui eam in cuſtodiam habebat, ita ferociùs Cantaber reſpondit, ut *nihil ſe fide potius habere* diceret, *quàm velle ad extremum ſpiritum tueri erga Philippum, quòd eum crederet legitimum Hiſpaniarum Regem, & æquitatis, clementiæque nomine longè optimum eſſet expertus.* Et cum dicto directis gravioribus tormentis, ita cœpit pilis ferreis eos, qui plus juſto temerè ſe provexerant, impetere, ut non perfunctoria, atque incruenta oppugnatione ſperaret Britannus poſſe capi. Igitur cum diu Valentiæ conſediſſet, finitimorum precibus, & queſtibus permotus, quos Peninſulani aſſiduis eruptionibus infeſtabant: tum etiam quòd non erat neſciens quàm ſtrenuè intrà mœnia fames cum defenſoribus pugnaret, Antonium Maſium, virum Nobilem, in illis partibus, qui ad Archiducem defecerat, cum omni inſtrumento poliorcetico, quod apud Caſtellionem reliquerat, & nonnullis Britannis tormentorum magiſtris, eam arcem oppugnatum miſit. Hic autem cum ad ea loca perveniſſet cum omni apparatu armorum, ingentem vim Ruſticorum ex proximis vicis, & oppidis, qui immani odio Peninſulanos proſequebantur, celeriter coëgit. Mox vaſtato paſſim agro, oppugnatoribus tegendis ducere inſtituit munitiones. Oppidani verò, & quod erat præſidii exiguum, operi intentos tormentorum pilis quanquam aſſiduè dilacerabant, tamen Britanni, poſitis tormentis, & mortariis, mœnia, ædificiaque quaſſare, ac deturpare inſtant, decidentibus è ſublimi globis ferreis ſulphureo pulvere refertis, quorum cum non ingens copia eſſet apud eos, brevi hac peſte liberantur obſeſſi. Accidit autem, ut, cum crebris diſploſionibus tormentum ferreum juſto majorem concepiſſet ardorem, cum diſploderetur, ingenti fragore edito, diſrumperetur, fragminibusque ve-

vehementiſſimè excuſſis, ex circumſtantibus alios fœdiſſimis vulneribus diſcerperet, alios graviter ſauciatos debilitaret. Ingenti utrinque vi pyrii pulveris, & pilarum abſumta, ſcaphæ ex Gallica claſſe, quæ ante Barcinonem jactis anchoris conſtiterat, onerariæ tres, paucos milites exponunt, omnique alimentorum copia ſublevant obſeſſos: qui harum rerum inopia adeò laborabant, ut à multis tempeſtatibus piraticam inſtituerint, ne, defectu cibariorum, arcem illam deſerere cogerentur. Perſeverabant tamen hoſtes in obſidione, murum pilis pertinaciter verberantes, cum facta eruptione medio diei tempore, plenis paſſibus feruntur oppidani armati LXXX. & ſimul, ut Eciavarria imperaverat, tormenta ex mœnibus in hoſtes diſploduntur; qui irruentes conſpicati, & pilis pariter adpetiti, prandium deſerunt, quod paraverant, ac protinùs ſeſe in pedes conjiciunt, cumque eos fruſtra eſſet perſecutus Eciavarria, qui agmen ducebat, ad ruſtica illa caſtra ſuos reduxit, ubi liberè, & hilariter epulati, omne bellicum inſtrumentum, ac veſtis nonnihil intra mœnia comportarunt. Quo facto tantus terror hoſtium invaſit animos, ut terra, marique propiùs Peninſulam commeare per multas tempeſtates abſtinuerint. Nec videtur prætermittendum quòd cum aliquandò fame premerentur Peninſulani, adeò ut præter alia inſolita, aliquandiu eos toleraverint corpora jumentorum, tribus in ſcaphis oppidanorum promtiſſimos impoſuit Eciavarria, ut, quoquo poſſet modo, ſociorum inopiam ſublevaret. Qui dum mare paulò incautiùs excurrit, penè ab hoſtibus oppreſſus, captusque fuit: ſiquidem ubi eum vident longiùs progreſſum, qui ad Binarozium excubabant, biremem conſcendunt, quam in ſtatione paratam habebant, inque eum citatiſſimo curſu feruntur, cumque ejus ſcapha jamjam caperetur, ab aliis longiùs præter-

Digitized by Google

vecta, à quibus auxilii, propter diſtantiam, ſpes nulla erat, fortiſſimo ſe conſilio eo periculo explicuit. Repentè enim conſurgunt Peninſulani omnes, atque ſclopos in hoſtes intendunt animis præſentiſſimis tanquam in adverſos jaculaturi. At Eciavarria brevi illa temporis uſura, dum hoſtes trepidi ceſſant, velum avertit, exiguoque flexu ſecundiorem nactus ventum, ad ſuos plenis ſinibus ſe recipit celeriter, qui, ut hominem in tanto diſcrimine poſitum adjuvarent, remis, veliſque properare contendebant, quibus junctis, cum hoſtes, virtute, & peritia rerum, pares non eſſent, ad ſuam ſtationem ſpe prædæ fruſtrati revertuntur.

L I B. I I.

1 HAud in proclivi eſt dicere in tanta rerum omnium perturbatione, quanta cura, ac ſollicitudine Valentinorum afficerentur animi, adeò diſſociati, ut diverſis partibus addicti, & eò magis, cum celeres differri cœperunt rumores, & quidem ſatis conſtantes, *Philippum à Regia cum exercitu moviſſe, & ad Valentiam iter habere, tanquàm eam Urbem belli auſpiciis deſtinaſſet.* Quæ res & litteris multorum, & nunciis, qui patria exceſſerant, quotidie magis ac magis confirmata, quò iis erat gratior, qui libentiſſimis animis ejus adventum præſtolabantur; tantò certè acerbior ſeditioſis hominibus, qui ſcelerum conſcientia exagitati, ſaluti ſuæ diffidebant vehementer. Suſpenſis igitur, & anxiis his rumoribus atque auditionibus omnium animis, brevi aliter multo uſu venire, quàm creditum eſt, renunciant, *Regem ſcilicet, mutato conſilio, per Aragoniam, in Cathaloniam proficiſci, Gallorumque auxilia haud procul Barci-*

no-

Digitized by Google

nonem ejus adventum opperiri, *undique claſſem*, *anchoris ante eam Urbem jactis*. Quæ omnia ea mente parata videbantur, ut, expugnata Urbe, etiam Archidux in ea obſeſſus, in Regis poteſtatem veniret. Id igitur cis paucas tempeſtates cœpit in vulgus efferri, advenientibus, per ſingula ferè tempora, nunciis ad Peterborwium, cum litteris, & mandatis, ut *quàm maturrimè Archiduci opem ferret*, *cujus indigebat maximè*. At Britannus, primo nuncio accepto, ſtatim ad Claſſis Præfectum, qui in Luſitaniæ portubus hyemabat, mittit, *ut quanta poſſit diligentia*, *Cathaloniam adnaviget*. Nec mora, levi præſidio cum Britanno Præfecto ad Urbem relicto, quòd populi voluntatibus multùm confideret, ſpeculatoriam naviculam cum Raphaële Nepote conſcendit, & præmiſſo Barcinonem verſùs Equitatu, eòdem vela dedit. Accidit enim in tanta rerum expectatione, ut III. Idus Maïas elabentis anni, Sol deficeret, tribus antè meridiem horis: atque adeò ejus rota ſuppoſito Lunæ orbe obſcurata eſt, totumque cœlum nocturna offuſa caligine inhorruit, ut, nonnullis etiam internitentibus ſtellis, in obſcuriſſimam noctem rèpentè mutari dies videretur. Quod quamvis naturæ ordine, aſtrorumque viciſſitudine accidere omnibus eſſet in confeſſo, tamen prodigium aliquod, quo futura belli portenderentur, pro ſuo quisque ſtudio ariolabatur. Et quidem per eos ipſos dies prodigia multa nunciata ſunt, quæ, quò magis credebant ſimplices, ac religioſi homines, eò plura nunciabantur, quibus pro ſe, ſuaque cauſa ſtare Divos proſperos, optatoſque ſignificare eventus, temerè ſibi perſuadebant.

2. Interim verò paucis poſt Britanni profectionem diebus, Mahonius, quem in Caſtellam miſerat Moſcoſus, cum tribus ſubitariorum millibus redit, & opportuno inſtrumento Algeciram ad oppugnandam.

Digitized by Google

Ubi verò Engueram venit intra Provinciam, obviam habuit cc. equites, & VIII. veteranorum vexilla ab Exercitu disjuncta, quæ lintribus flumen ad Antellam ſuperaverant, ut tutiùs intra hoſtium præſidia penetrare poſſet. Inde, direptis paucis domibus, quòd domini ad Archiducem defecerant, cum omnibus copiis agrum Sætabitanum intrat. Hoc Baſetus, qui eò accurrerat, prohibere cupiens, Tarregam cum ſuis equitibus præmittit, quem cum Ruſticorum armata multitudine conſequitur. Hanc manum non longè ab ea urbe conſpicati equites Regii, qui regionem exploratum præceſſerant, invadunt extemplò, atque in fugam vertunt, perque agros palantes nacti, paucos interficiunt, reliqui effuſiſſimo curſu intra mœnia ſe conjiciunt, cumque nullam pugnandi facerent poteſtatem, aditus obſident Regii, ne hoſtes commovere ſe poſſent, dum ſocii ea loca pervagantes turmatim, vicos quòd alios incolarum vacuos, alios ad arma conſternatos offenderant, diripiunt, atque incendunt. Eſt vicus in extrema ejus parte agri ad Algeciram vergente, Manuel dictus, in quo tanquàm in ſtatione erant Cathalanorum, ac Ruſticorum manus. Hi, ubi militem adventare vident, æris campanæ pulſu, finitimos in auxilium arceſſunt, quo audito, Regii equos citant, ac vicum intrant repugnantibus latronibus, & ruſticis colonis perſtrenuè; ſed circumventi ſubitò equitum turma, animos deſpondent, ac terga vertunt: quos equites conſectati, cædunt uti nullo belli commercio protectos, etiam abjectis armis ſupplices. Nec ſegnis tum C. peditum opera, qui equites manipulatim conſecuti, inter arundineta, & rubos miſere latentes, qui primum diſcrimen evaſerant, immiſericorditer confodiebant, nullas eorum preces, obteſtationesque ad aures admittentes. Cathalani ad unum trucidantur, incolæ cum Sacerdote Curione ad XXX.

Con-

Confugerant ad Templum mulieres, queis, etſi honos habitus, locus tamen, nulla Religionis habita ratione, direptus fuit, & vicus incenſus. Milites ea pugna V. tantùm deſiderati ſunt.

3. Poſt hæc, reliquis copiis conjuncti, Carcaxentium verſùs oppidum, propè Algeciram opulentum, & fide in Regem optimum proficiſcuntur. At latrones, qui præſidii cauſa ibi conſtiterant, ubi ſentiunt adeſſe copias, diffiſi & viribus, & oppidanorum voluntatibus, porta Algeciram ſpectante ſe ſubducunt. Poſt tamen paulò prædandi ſtudio revertebantur, ſed audito læto æris campani ſonitu, adventum copiarum teſtante, perterriti, retrò pedem rurſùs tulerunt. In hos cum incidiſſent equites, qui ea loca exploratum erant præmiſſi, fit parvum prælium; verùm impetum equorum reformidantes, fuga ad ſocios evadunt, qui cum Ruſticis colonis antè Algeciræ ſuburbium, Divi Auguſtini dictum, foſſam in itinere duxerant tranſverſam, valloque munierant, ut copiarum adventum ad oppidum morarentur, eum locum armati obſidebant. Quod ubi Mahonius audivit, tormenta imperat agmen præcedere, militesque ad irruptionem eſſe intentos. Cum autem intra teli jactum ventum eſt, crebra tormentorum diſploſione diruitur munimentum. Hoc dum fit, tormentum ferreum diſrumpitur, & magiſtrum cum tribus militibus abripit. Invadunt milites locum, foſſamque transgreſſi, ſuburbia intrant. Fit paſſim fugientium cædes: quorum pars, cum ad oppidum ſe recipere contenderent, à Britannis qui ad portam excubabant, & hauſerant ſtrepitum, quòd ſubitam irruptionem verebantur, clauſis portarum foribus, mœnibus prohibentur. Itaque metu exanimati, fluvii gurgitibus ſalutem ſuam committunt, cujus prægaltis rapti verticibus, glandibusque adpetiti, multi inte-

terierunt. Pars fuga ſparſi, incolumes ad Culleram, oppidum paulò inferiùs in ipſis fluminis faucibus poſitum, evadunt. Inter eos qui nantes oppidum tenuerunt, fuit Antonius Nepos, Raphaëlis frater, Latronum ductor, qui nobili equo vehens, ad inſulam feliciter tranavit. Direptis ſuburbiis, ædes nonnullæ incendio abſumuntur. Intereà tormentum quod erat reliquum, perfoſſa proximi horti maceria, contra portam ſtatuunt, pilisque verberare incipiunt. Sub idem tempus, ubi ponte Sucronem junxerat ſcaphis, & aſſeribus, quos ab uſque Alone advehi curaverat Mahonius, tormentaque tranſvexerat, ex altera parte movit cum iis copiis, quas ſecum habebat Moſcoſus, ut CCC. latrones, & aliam multitudinem armatam ab Algecira opificum, & Ruſticorum, qui non procul Alberichium ad orizarias molas ſtationem habebant, antè omnia ea loca, pelleret. Qui ubi non longè acceſſit, ſuis locis diſpoſitis equitum turmis, ut ſpem fugæ præcluderet, tormentum in ædificium diſplodi juſſit, quo ſtrepitu audito, exanimati latrones, deſerta ſtatione, ad oppidum confugiunt; unde egreſſi in equos incidunt, qui erant à tergo, qui eos celeriter invadunt. Quorum metu alii diverſa, uti rebus perditis ſolet, capeſſunt, & fiducia gnaritatis locorum, quorum ſe notitia tegebant, objectuque foſſæ latiſſimæ, quam Regiam vocant, in occultam fugam ſparſi, cædem vitant. Pars intercluſi, deſperata ſalute, in fluminis gurgites præcipitantur, quibus abrepti, paucis nandi peritia exceptis, ſuffocati ſunt. Qui denique in equos inciderunt diſpoſitos, uti nullis belli commerciis defenſi, crudeliſſimè trucidantur. In his præliis unus & alter ex Regiis deſiderati ſunt. Ex hoſtibus CC. perierunt. Cæterùm dejectis, fugatiſque latronibus ex utraque fluminis ripa, liberoque utrorumque caſtrorum

rum

Digitized by Google

rum commeatu, oppidi aditus hinc inde obſidentur; productiſque tormentis, & per proxima mœnibus ædificia militibus ſclopetariis diſpoſitis, & murus, & propugnacula defenſoribus nudantur: tum crebra pilarum verberatione corruptus pons ligneus, qui catenis ſuſpenſus, portam Valentiam ſpectantem protegebat, turreſque perfoſſæ ſunt: ac ita ancipiti malo obſeſſi urgebantur. Inopia etiam multarum rerum premebantur, quæ ad oppidi uſum, defenſionemque perneceſſaria erant, qua cupiens Cardona obſeſſos ſublevare, earum copiam Culleram comportari imperat, & negotium iis, qui inibi præſidium agitabant, committit. Hi, quanquàm ſatis diligenter oneratis lembis, per adverſum flumen commeatum intra mœnia ſubvehere tentant, à Regio milite utramque ripam obſidente, glandium imbre arcentur, & ab incœpto deſiſtere coguntur.

4. Dum hæc gerebantur, Reginæ litteris, quæ abſente Philippo omnia moderabatur, Belgæ, & Caſtellāni pedites Prætoriani, qui in caſtris erant, ad Regiam revocantur; quorum diſceſſu, ab inſtituta oppugnatione nequaquàm ceſſatum eſt: imò acriùs inſtante Moſcoſo, Joſephus Nepos, ad oppidi cuſtodiam à Peterborwio dato ſigno, colloquendique tutò facta poteſtate, ad eum in caſtra venit, qui longa confabulatione ambiguum hominem, ac rebus ſuis timentem, ad deditionis ſatis æquas conditiones deſcendere compulit. Regreſſus intra mœnia Cathalanus inhiberi tela juſſit, & præſidium, quod ex Britannis, & Latronibus conſtabat DC. cum paucis equitibus, ad profectionem parari. Portam, uti in deditione tranſactum erat, ſtatim occupant Vaſcones, qui ex veterano peditatu erant omninò reliqui. Hi præſidiarios ex latrocinio equos manuducentibus eripiunt, quòd præter conventa factum id eſſet. Tum per ludibrium (uti ſolent laſcivientes victores)

 ar-

Digitized by Google

armis nonnullos arte inſignibus exuunt, ac demum dicteriis onuſtos dimittunt.

5. Capta Algecira, qui ad Culleram præſidiarii erant, relicto omni commeatu, impedimentiſque, metu correpti, per oram maritimam, Valentiam verſus fugam accelerant. Quæ oppida Moſcoſus brevi potitus, coërcendo hoſti ſatis opportuna, præſidiis, tormentiſque firmat. Redeunt ad officia proxima quæque oppidula, & caſtella, quorum incolæ benè animati, imperata libenter faciebant. Ergò equites latiùs ſeſe effundunt pabulatum, & totam illam regionem ad agrum Valentinum obnoxiam reddunt. In Urbe primùm *Algeciram captam, vel capi poſſe, pertinaciter negare: loci naturam extollere: Regiorum vires elevare.* Ubi verò multitudo, quæ extra maritimam portam, (reliquæ verò, vel occluſæ, vel oppilatæ erant) prodierat, ut rem cognoſceret à viatoribus, Cathalanos videt redeuntes demiſſis in terram capitibus, & amiſſorum dolore mœſtos, circumſiſtunt, & quid factum ſit rogant. Cumque accepiſſent in *Regiorum eſſe poteſtate Arcem illam*, quam Provinciæ clauſtra eſſe prædicabant, incuſare inveteratam eorum perfidiam, labare hominum animos, ac ſaluti ſuæ penè diffidere: atque adeò metu erant trepidi, ut ſi Moſcoſus, à peditatu meliùs paratus, Urbem invaſiſſet, nullo penè negotio, ac ſanguine occupaſſet. Quod non ſtatim fieri iniquis animis ferebant Regii ſtudioſi, nihil repugnantes, alea plenum eſſe, exiguas copias in urbe adeò frequenti, ac peſſimè in Regem affecta includi, in qua arx nulla, ubi recipi, tuerique ſalutem poſſent in diſcrimine per tumultum, ac ſeditionem aliquandò poſitam: nec Urbi recuperandæ præcipuè curam impendi; ſed in diſtinendis hoſtium viribus, ne Barcinoni ſuppetias ferre poſſent, dum Rex ſumma vi, Montis Jovis primo impetu arce capta, eam Urbem oppugnabat.

Cæ-

Digitized by Google

Cæterùm Nepos qui deditionem fecerat, cum magna populi offenſione, ad Urbem rediit, ſtatimque in publicum carcerem, adjectis ad cuſtodiam Britannis, compingitur, rei malæ geſtæ, ſeu proditionis potiùs inſimulatus; quo in loco fuit per annum fermè, ac demùm re benè diſcuſſa, abſolutus judicio fuit. Moſcoſus autem, data Cullera, titulo Marchionis à Regina auctus, in illo oppido, quietis cauſa, cum primoribus Ductorum verſabatur, conviviiſque indulgebat. Sic enim in rebus humanis ludens fortuna petulanter, ſuæ vertiginis viciſſitudine, alios miſerè deprimit, alios feliciter provehit. Verùm ingens hinc cavillandi anſa utrarumque partium hominibus. Nam Baſetus inter alia quæ ſibi ſomnia finxerat, matrem eo titulo, atque honore ab Auſtriaco donatam ferebat, propriæ dignitatis augendæ gratia, ne ipſe primus ex ſua eſſet familia, qui ejuſmodi honoris gradum adiiſſet: unde erant præter vulgus etiam, qui vetulam illam eo nomine colerent, obſervarentque.

6. Inter hæc, in Regiarum partium ſtudioſos, quòd, ſublatis animis illo ſucceſſu, liberiùs loquebantur, acriùs ſævitum eſt; atque adeò, ut ex leviſſima ſuſpicione, vel verbo ambiguè pronunciato (quæ delatorum multitudine ad Seviros capitales deferebantur) rapi, trahique, contumeliiſque oppleti in carcerem trudi: &, ut ſunt procacia plebis ingenia, atrociſſimis verbis ad mortem depoſci. Nec inde emittebantur, quàm poſt gravem pecuniarum collationem, datiſque vadibus domo, vel urbe non excedendi. Ex Equeſtri cenſu in exilium miſſi, Nicolaus Caſtelvinius, Caſtellarii: Joſephus Vives, Fauræ Comes; Joſephus Joannes Centelles, Marchio, & ejus filius; Chriſtophorus Sanſius, & Hyacinthus filius; Joſephus Cherta, ab Algecira; & Joſephus Caſaſus cum Joſepho F. Petrus Gonzalus, Ema-

Digitized by Google

Emanuel Jordanus; Cyprianus, & Joſephus Mojæ; Joſephus Ruïzius; Antonius Ripollius; Joannes Peralta; & Laurentius Turreſius. Cives præterea Valentini, Felix Cebria; Joſephus Albertius; & Joannes Baptiſta Raimundus, cum Advocatis ſeptem, Thoma nempe Leonardo; Ferdinando Revilla P. & Joanne Baptiſta, F. Joſepho Caſtellio; Vincentio Ferriſio; Salvatore Lupo, & Michaële Hieronymo fratre. Inter quos non pauci ex Eccleſiaſtico Ordine extra Urbem, vel pelluntur, vel tota Auſtriaci ditione aguntur extorres. Et hæc quidem tolerabilia præ aliis, quippe eò amentiæ ventum erat, ut cum porta exules eſſent exceſſuri, non antè id facere liceret, quàm apud Scribam, qui in ipſo aditu ſedebat, nomina profiterentur, quo facto, Cathalanis Latronibus extra mœnia prædæ inhiantibus, Sevir capitalis, qui etiam ad portam aderat, ſub oculis publicis nutu ſignificabat, in quos irruere deberent; nec mora, pecunia ad viaticum parata, & veſtibus eos ſpoliabant, contumeliiſque ſaturati dimittebant. Neque à Sacratis viris Sevirûm ſævitia abſtinuit, quorum ſcelere, immane quantùm eorum immunitas violata ſit. Perplures enim in carcerem compegerunt, ubi malefici aſſervantur. Inde emiſſi, exilio: qui verò Urbe fuga elapſi, bonorum direptione mulctati ſunt. In his Antonii Pontonſii, Metropolitanæ Valentinæ Canonici, qui initio motûs Caſtellam petierat, publicantur bona: & cimelia magni pretii, quæ apud Iſidorum Gilartium, Crojæ Epiſcopum, diſcedens depoſuerat, delatorum ſolertia reperta, direptaque fuerunt. Et ni Auſtriaci litteris ad Cardonam datis, accurante Ludovico Rocamora Antiſtitis Vicario, viro fortiſſimo, juxtaque ornatiſſimo, qui ſæpiùs Cardonæ, & Sevirûm voluntatibus vehementiſſimè reſtiterat, inhibitus fuiſſet eorum furor, haud dubiè

biè Eccleſiaſticam libertatem prorſùs oppreſſiſſent. Nihil tamen indignius factum, quàm res moventes honeſtiſſimis matronis, & virginibus nobilitate, & forma inſignibus, quæ à viris, & parentibus propriæ dignitati potiùs, & officio, quàm neceſſitudini conſulentibus fuerant deſertæ, hoſtiliter diripi: qua ſævitia ad ſummam egeſtatem redactæ, vitam morte ipſa ducebant acerbiorem, nec in propinquis, quorum colligatione nihil arctius, quicquàm erat præſidii. Si enim ejuſdem erant ſententiæ, in eadem erant alea; ſin ibant in alia omnia, odio partium tranſverſi, acti, immani conſilio diriter ſæviebant. Plùs enim tum valebat morum ſimilitudo, animique inclinatio, quàm aliæ neceſſitudines, etiam naturæ jura in contrarium ſtudiis partium mutantibus. Multus in his rebus erat Cardona, cujus apta ſimulatio diutiùs recocta, tunc demùm cum immani ſuperbia eruperat. Multus item in rebus militaribus ordinandis, aſtu omnia providere: modò terrendo, modò aſſentiendo ineptis vulgi poſtulatis, ne ullus alicubi tumultus in re adeò trepida oriretur: ne qua voluntatis fieret commutatio, & infirma adhuc partium initia turbarentur, cum ſæpè in rebus turbidis, parvis momentis magni caſus intercedant. Et quidem præter Algeciræ jacturam, quam fecerant, graviſſimo etiam afficiebant metu, mœroreque, vulgi animos, dilati rumores (etſi penes quos rerum ſumma id ſilentio tranſmittere, vel figmentis invertere, & læta dare famæ diligenter curabant) Barcinonis Arce munitiſſima, primo impetu à Rege capta, & ea Urbe vehementiſſimè oppugnata, in ſummo diſcrimine Auſtriacum terra, marique incluſum verſari, qui ſi in Philippi poteſtatem veniret, omnium ſpes, opeſque, momento temporis dejectas fore, ſeque inſuper victoris iræ obnoxios, prudentiores paulò exiſtimabant. Quorum autem turbida erant ingenia,

nia, quorumque vis omnis, virtuſque in lingua, Baſetum ſuum ad Urbem reduci fremebant, ſeque eo ductore ſatis eſſe, ſuperque, ad bellum propulſandum.

7. Verùm ille intereà loci Sætabim munire inſtituerat, eò, uti diximus, profectus, ac ita à Civibus expetitus, ceu in eo uno omnium ſalus verteretur. Præſidium in ea Urbe nullum, ſed quas initio motûs facinoroſorum circum ſe tanquam ſtipatorum, catervas habebat, & quò quiſque ad flagitia promtior, eò magis ſibi obnoxium eum, fidumque fecerat. Hac manu, & civibus quos in armis eſſe juſſerat, ad vim Regiorum arcendam paraverat ſe. Suburbia ampliſſima, hortorumque ædificia muro proxima ſolo æquavit, haud quaquam miſeratus Civium fortunas, quibus everſis, nihilo tutior Urbe reddi poterat, ob loci ingenium, operumque infirmitatem. Intra mœnia, quicquid erat in proximis agris frumenti, & pecoris, comportari, ac Ruſticorum multitudinem ad ſe cum armis venire juſſit: multa prætereà crudeliter, avarèque ſolens facere cœpit. Immanem vim hominum ex omnibus ordinibus in vincula conjecit, in quibus omnes ferè Nobiles, qui ibi reſtiterant, Sacratos item viros pluſquàm C. quorum bona pars Cœnobitæ, quòd à Regis partibus ſtare, proindèque ſecum minùs facere videbantur. Cumque eam multitudinem publici carceres nequaquàm caperent, in Arcis turres quàmplures detruſit. Tres etiam Sacratas Virgines eadem de cauſa, quarum una Antiſtita erat, ex ſanctiſſimis penetralibus per ſummum nefas avulſit, ac novo, & inuſitato ſceleris exemplo, propria uſus auctoritate, diverſas relegavit. Utrumque ſexum & flagris publicè affecit, atque indicta cauſa ſuſpendio necavit. Alios porrò, quibuscum mitiùs actum eſt, pecunia exhauſit, eoque lytro ademtam libertatem redimire coëgit. His

Digitized by Google

8. His rebus intentum Moſcoſus, relicta ad Algeciræ cuſtodiam Vaſconum cohorte, caſtra menſe Maïo exeunte movens, repente obſidet, ac primo impetu ſuburbia ſemirupta abſque vulnere occupat. Multa adhuc integra ædificia diripiuntur, tormentiſque diſpoſitis, muri quaſſatio inſtituitur: qua procedente ex ſententia, ad C. pedes brevi temporis ſpatio, murus dejicitur. Verùm, cum ad irrumpendum minùs idonei viderentur ſubitarii milites ex Caſtella nuper advecti, Veteranorum operam Ductor deſiderare tum cœpit. Quapropter Equitibus, cum gravi Præfectorum indignatione, peditum munia obire imperavit, quorum exemplo permoti pedites, alacriores redderentur. Itaque Antonius Leiva, egregiæ fortitudinis eques, cum ſuis veteranis, per muri ruinas in Urbem penetrare tentat. In ipſo aditu, glandium procella obruti, & à ſubſequentibus tironibus deſerti, plumbeo imbri pauci cedere coguntur; quibus alii equites, ne vim omnem hoſtium ſocii ſuſtinerent, ab ignavis illis nihil adjuti, ſuppetias ferunt laborantibus: quorum ope protecti, ad caſtra ſeſe recipiunt. Deſiderati ſunt equites XVII. plures vulnerati, in quibus ipſe Leiva glande ictus, qui brevi convaluit. Dum hæc ad murum gerebantur, in Urbe ingens clamor, muliebri, puerilique ploratu mixtus exoritur, tanquàm eum diem ſupremum eſſent victuri. Ne Baſetus ipſe abſque metu; nam penè deſperatis rebus, equum habuiſſe frenatum accepimus, ut ſi Regii in Urbem irrumperent, per averſam portam, quam ob paucitatem copiarum obſidere haud poterant, ſeſe proriperet. Sed cum ab oppugnatoribus ceſſatum eſſet, rurſùs confirmatus, Decurionum animos à deditione, quam, accepto intra mœnia tubicine è caſtris ad id miſſo, meditabantur, graviter deterruit, & ad extremam belli cladem Urbem defenſum iri reſpondit. Dum in

Digitized by Google

in his rebus fruſtra dies aliquot inſumunt obſeſſi, certatim foſſam latiſſimam intra mœnia ducunt, qua dejectus murus aditum præbebat, muniuntque vallo, ne ea Regii irrumpere ampliùs ſperarent. Præterea veterani CCC. à Cardona naviculis miſſi, & in littore, è regione Sætabis, expoſiti, per Decumanam Arcis portam introducti ſunt, ut eam tuerentur, ſi Urbem Regii caperent. Demùm Claſſis Barcinone rediens, ad Valentiam Britannicas cohortes ſex expoſuerat, quibus rebus quò magis Regii animos deſpondebant, majores attollebant obſeſſi. Unde præciſa eſt omninò ſpes rei benè gerendæ.

9. Inter hæc litteras à Rege Moſcoſus accepit, quibus præſcribebat, ut Caſtellam verſùs, quam inſtructiſſimus Exercitus Anglo-Luſitanus invaſerat, iter maturaret. Ergò Caſtellanus, retracto omni inſtrumento poliorcetico, obſidium, quod majore belli ira, quàm juſtis viribus inſtituerat, neceſſariò ſolvit. Inde, ſubitariis demùm abire juſſis, cum equitatu Algeciram rediit, ubi receptis Vaſconibus, profectionem indicit, & tormentis partim avectis, partim confixis clavis per ſpiramenta, inque flumen præcipitatis, & denique inſulæ munitionibus demolitis, brevi proficiſcitur. Mahonius Alonem verſùs iter arripit, ejus Urbis conſervandæ cauſa, cui Urbi à Rege pariter & Arci fuerat præfectus. Michaël item Pontius, natione Cathalanus, qui Morellam cum ſua equitum ala, & peditatu Saguntino (nam alii pedites militiam pertæſi, per murum elapſi, domum reverterant) ab ipſo penè Rehalii abitu unà cum Dehonà tenebat, ubi litteras à Rege accepit, quibus poſthabita ejus Arcis defenſione, Caſtellam petere jubebatur. Arcem illam poſt VII. cuſtodiæ menſes deſeruit, inauditis oppidanis, qui præſidiariis ex publico, privatoque, ſtipendia repræſentare pollicebantur, modò Regi patriam conſer-

vaſ-

Digitized by Google

vaſſent. Quod dum non obtinent, à Regiis copiis deſerti, poſt menſem, Auſtriaci imperium ſubeunt. Pontius igitur, collectis ſarcinis, cum parva illa manu Aragoniam penetravit, quæ jam certè à fide deſciverat. Unde fama fuit, flamma ferroque ſibi iter patefeciſſe, quòd ab ejus regionis incolis tranſitu prohiberi ſæpe tentatum fuit: ac demum omnibus incolumibus in Caſtellam ad Regem perveniſſe.

10. Dies jam factum fuerat ab hinc aliquot, cum ab Auſtriaco litteræ Valentiam perlatæ, *Philippum, ſoluto jam Barcinonis obſidio, Galliam verſùs cum copiis moviſſe*; docuerant atque tempeſtivo Britannicæ claſſis adventu, hoſtium naves in turpem ſe fugam conjeciſſe, amiſſis omnibus belli, & victûs copiis, ad oppugnationem expoſitis, quam ob cauſam ad Divorum Templa ſupplicationes fieri imperabant. Re igitur vulgata, temporis momento tota Civitas, trepida antea, & de belli eventu ſollicita, gratulantium clamoribus, feſto æris campani pulſu, ac triplici tormentorùm diſploſione reſultans, conceptam animis lætitiam edidit. Factis ſupplicationibus, & lychnocauſiis per tres noctes, lætiſſimo ſpectaculo, ſpei bonæ, atqui animi pleni rurſùs Valentini videbantur, qui anteà propè periiſſe crediderant. Ergò quam anteà paulùm compreſſerant metu, ab eo liberati, linguæ largiſſimè poſteà indulgebant, qua quiſque quò magis procax, & quò atrocius quidquid apud Barcinonem factum à Galliæ militibus expendebat, ut plebis invidiam in eam Nationem, Regemque excitaret, ille propiora veris dicere in vulgus credebatur. Qui verò Regias partes fovebant, falsò ferri obſidium ſolutum, imò bonam Urbis partem Regios cepiſſe, ac reliquam brevi fore in eorum poteſtate, & alia talia ſeriò affirmabant. Hæc atque alia paſſim, relictis officinis, populus in turbellis, & ii certè, quibus comperta minùs, ut fieri a-

Digitized by Google

mat, confidentiùs jactabant. Ad hæc in Sacris Concionibus, quæ ad populum habebantur, tot adeò officiis corruptos, alienatoſque Civium animos extremæ dementiæ homines miſerè ducebant, ea attollentes, quæ in vulgus de Rege, Gallorumque crudelitate, in Cathalanos malignè ferebantur, ut rebellium velis vehementer inflatis, in ſcopulos potiùs, & certum naufragium incurrere, quàm, ſalva republica, vellent ad ſanitatem, Regiæque fidei portum redire. Et quidem tandiu materies fuit in ore vulgi, quandiu nova res objecta eſt, more Urbis, in qua ſermo ſermonem trudit.

11. Inter hæc, cum tempus advenisſet legitimum, Sevirûm Reipublicæ adminiſtrandæ ſortiendorum (uti Valentiæ fieri jus eſt) Archiducis reſcripto iidem, qui honorem illum ampliſſimum gerebant, continuare indulgentur, quod in novo Principatu fieri mos eſt. Haud tamen in demortui initio motûs Felicis Ximenii locum alius ſuffectus eſt; ſed quinque tantùm rem adminiſtrarunt publicam.

12. Per eos ipſos dies, rediit Equitatus ex Cathalonia, & C. naves, quæ ad littus Valentinum (uti ſuperiùs diximus) appulerant, III. millia militum exponunt, quæ manus juxta Urbem in adverſa fluminis ripa ad lucum tetendit. Venit demùm Peterborwius cum Nepote, qui brevi importunis ſalutationibus expeditus, cœpit Caſtellam cogitare. Sed erat primùm expugnanda Requena, quæ Urbs in Caſtellæ confinio, mœnibus veteris ſtructuræ, poſita eſt. In ea Moſcoſus ad Regem proficiſcens, præſidium reliquerat CXX. militum, quibus præerat Hadrianus Betancurtius ex Fortunatis Inſulis, vir profecto magnæ in Regem fidei. Britannus igitur coactis copiis, & Guindenio cuidam traditis, ejus Legato, qui ex vulnere dextrum brachium amiſerat, Requenam verſùs proficiſci juſſit. Ubi autem Civam

Digitized by Google

vam perventum eſt, pyrii pulveris jactura afficiuntur Britanni, qui cum magno ejus numero agmen præcedebant. Quippe cum vino (uti ejus Nationis hominibus ſolemne) largiùs indulſiſſent, eo ſaucii, facti negligentiores, pulveris immanis illa vis incenditur, compluresque flamma correpti aduruntur, fœdanturque. Quapropter neceſſaria re coacti, reprimunt iter, dum Valentiam jumenta mittunt, ut ad ſe ſuccidaneam pulveris copiam ſubvehant, qua advecta, cum tormentis ſex, & reliquo apparatu Requenam veniunt, juxtaque eam caſtris metatis, oppugnare inſtituunt. Utrinque ſumma vi, & muniunt, & pugnant per dies XXVII., quibus exactis, cum in ſummo periculo verſarentur obſeſſi, quòd multis ædificiis incenſis, mœnibuſque perfoſſis malè tegebantur, ac demùm ſpe auxiliorum fruſtrati eſſent, deditionem faciunt, ne quid gravius irrita pertinacia Urbs pateretur. Deſiderati ſunt ex præſidiariis XXII. omninò: reliqui jure belli capti, quòd præter diſciplinam in Urbe adeò infirma defendenda diutiùs perſtiterunt, in Cathaloniam aſportantur, ubi per multum tempus fuere, uſque dum permutatis captivis, in libertatem ſunt vindicati. Hoſtes CC. fermè ferebantur interfecti.

13. Peterborwius autem capta Requena L. majoribus carris, & jumentis complurimis Provinciæ imperatis, omnem belli apparatum ſtatim impoſuit, quibus præmiſſis, ipſe Valentia movet, ſolita corporis cuſtodia ſtipatus. Cumque Requenam perveniſſet, præſidio opportuno ad eam relicto, cum IV. millibus ex ſuis copiis, & latronum multitudine, Caſtellam penetravit; Baſetus verò, ut manum quoque movere videretur, ſub Moſcoſi diſceſſu, Algeciram occupavit deſertam, & ex ſegnioribus, ac valetudine affectis ad XXX. milites cepit imprudentes. Carcaxentii Magiſtratum, primoreſque Valen-

tiam traditos in cuſtodiam miſit, & omnia denique terrore complevit. Tanti erat Regiarum partium ſtudioſis animorum inclinatio, & fidei officium! Hoc ſtatu rerum, Joannes Pardo, de la Caſta Marchio; Gaſpar Calatajubius, Cirati; Joſephus Ceverius Villæfranquezæ; Joannes Thomas Cabanyelles, Caſalis Comites; Joſephus Sanzius ab Exeta; & Garceranius Mercaderius, & Cervellonius diverſis neceſſitudinibus ſervientes, de vetere, atque adeò optima ſententia dejecti, & deteriora ſequi conſilia fatali neceſſitate coacti, ad Archiducis obſequium deflexerunt apertiùs, rati, ſoluta Barcinonis obſidione, in cujus defenſione, expugnationeve, poſita erat (ſic vulgò ferebatur) tota utriuſque imperii, exiſtimationiſque ratio, ad ejus partes, qui eam haberet in poteſtate, abs dubio fore ut vergeret pondus armorum. In queis erant, qui ſuæ fortunæ cum minùs acquieſcerent, prævisa in poſterum ſpe dignitatum obtinendarum, quæ ambitioni, & pretio erant perviæ, dum æquales primùm, dein ſuperiores, poſtremò ſuaſmet ſpes anteïre properant, ad id facinus excitantur; quibus ſi hujuſmodi expectatio commodi demeretur, haud dubiè fortunæ aleæ committere ſe neglexiſſent, verùm Joannis Pardi longè alia fuit ratio. Hic enim mutata Valentinorum fide, ſtatim abiit Magiſtratu, quem gerebat ampliſſimum, ne communi populi inſaniæ conſentire videretur. Verùm propinquorum adhortationibus, & conjugis Cathalanæ exemplo, quæ viri indulgentia abuſa, cujus officia uſurpabat, & rebus Archiducis immodicè favebat, tranſverſus actus, in eamdem ivit ſententiam. Cæterùm hi omnes conſcenſa navi, Cathaloniæ fines adnavigant, ſalutatum Archiducem, qui Aragoniam verſùs movebat, eumque in Caſtellam proficiſcentem proſecuti ſunt.

14. Ad

Digitized by Google

14. Ad Urbem autem copia ex novis delectibus, quos Magiſtratus habebant, & Britanni, qui diverſis in locis præſidii cauſa conſtiterant: quod agmen vix IV. millibus armatorum conſtabat: tum Raphaël Nepos, & Maſius, quem Equitatûs præfectura, data in ſtipendium ingenti pecunia, Peterborwius ornaverat, unàque Tarrega cum Sætabitano equitatu, omnes DCCC. numero, Alonem proficiſci parabant expugnatum, eo conſilio, ut Arce illa potiti, portum ſatis tutum navibus ſuis Britanni haberent, ubi auxilia, bellique inſtrumenta deponerent. Claſſis verò Præfectus, dum copiæ cogebantur, præmiſſis aliquot navibus, Carthaginem novam, à Civibus proditam, occupat. Quo facto, reliqua Claſſis Valentia ſolvit, & Alonenſem portum obſidet, nonnullos ante dies quàm copiæ pedeſtri itinere ad ea loca accederent. Profecti igitur quàm expeditè, quòd Claſſis beneficio graviora impedimenta eò convehebantur, ubi ad Ilicitani Sinûs regionem pervenere, Jacobus Roſellius, Rafalis Marchio, quod jamdiu facere deſtinaverat, Orcelim prodit, Urbem Epiſcopali Sede inſignitam. Quod facinus paulò altiùs repetendum eſt. Hic, & dignitate, & divitiis, & gratia apud Cives plurimùm valebat ſuos: quod à Rege animadverſum, neminemque eſſe, quem illi Urbi regendæ imponeret, in ea temporum difficultate, opportuniorem, & quòd ſibi inſuper fidum, ſtudioſumque intellexerat, ad eum litteras non ſemel dari juſſit, in queis Urbem, & eam regionem ejus fidei amantiſſimis verbis commiſit. Sed amicorum ſuaſu, & quadam animi mobilitate de ſententia dejectus, in Auſtriacorum ſocietatem ſe dedit, immemor, ingratuſque Regis beneficiorum. Cæterùm alienato animo, cum Sanctæ Crucis Comite Trierarcho, qui in prodenda Auſtriacis Carthagine, ac Regiis triremibus, ſuam quoque

operam præſtiterat, commercia inſtituit litterarum, quarum faciſculum, tabellario interfecto, cum intercepiſſent Mahoniani equites, qui itinera obſidebant, quam præſenſerat fraudem Mahonius, apertè cognovit. Sed cum nulla ſeſe daret opportunitas hominis capiendi, qui vulgi animos ſibi arctiſſimos devinxiſſet, auxilia, quæ ſibi Murcia ad Alonem tuendam mittebantur, ſedulò admonuit, ut Orcelim, qua erant tranſituri, divertendi cauſa intrarent, Urbeque potiti, Prætorem comprehenderent. Huic verò cum res innotuiſſet, poſtquam ab equitibus litteræ fuerant comprehenſæ, vicos, plateaſque inædificari juſſerat, in ſpeciem Urbis à ſubita hoſtium irruptione defendendæ; copiaſque Murcienſes, quæ poſt paulò acceſſerant, intra mœnia recipi vetuit, ac demùm, re detecta, nihil ſibi cunctandum ratus, ad Raphaëlem ire perrexit, qui cum equitatu haud longè aberat, & cum eo agit, ut ſi Orceli velit potiri, cum equitibus maturet. Nec mora, Cathalanus, poſt abitum Rafalis, acceptis in deditionem Ilici, nobili oppido XII. millia paſſuum ab Alone diſſito, totaque illa regione, ad Orcelim ire contendit cum equitibus LXXV. Quò cum perveniſſet, bipatentibus portarum foribus à Civibus exceptus fuit gratulabundis IX. Cal. Quinctilis. Exceſſerat jam antea Joſephus Turritanus Epiſcopus, quòd Prætoris artes, vulgique animos à Rege alienatos cognoverat, quem ſecuti ſunt Ludovicus Togores, & Joannes frater Eques Hieroſolymitanus, & nonnulli honeſti homines è plebe. Officio ſe item abdicavit Gregorius Badenes, Valentinus, ne in Aſſeſſoris munere Rafalio, ab Auſtriaco Præturam continuare juſſo, aſſideret, proindeque cum eo facere videretur.

15. Inter hæc, agmen, & reliquum equitatûs Alonem proficiſcitur, unà cum latronum armata multitudine,

tudine, quæ prædandi libidine ſe illis conjunxerat. Ubi ad Urbem accedunt, poſitis caſtris, quadripartitò oppugnationem adornant, educto ex navibus omni inſtrumento. Quatuor tormenta in unaquaque ſtatione collocant, adjectis mortariis majoribus globis evibrandis, nitrato pulvere refertis. Eodem tempore, è Claſſe quæ portum (uti diximus) occupaverat, octo naves immanis magnitudinis, & triplici tormentorum verſu inſtructæ, propiùs mœnia accedunt, & cum illis bini pontones, genus navigii pyrobolis illis devolvendis aptum; quæ omnes aſſidua diſploſione, per totos ſex dies, tametſi ex munimentis mare ſpectantibus eas acriter infeſtabant, pinnas detergunt: tormenta ſubjectis compagibus perfractis disjiciunt, ædificia fœdant, paucos tamen mortales diſcerpunt. Oppidanis enim, præſiſidioque ipſa oppugnationis diritas ſaluti fuit, non auſis in tanta ignis vi, pilarumve imbre, hoſtem contra aſpicere. Poſt diem ſextum naves adjiciunt duas, & per biduum multò infeſtiùs mœnia, ædificiaque quatiunt. Inter hæc, Claſſiariorum partem expoſuerant, ut intra mœnia tot locis exciſa, dirutaque irrumperent: quod veritus Mahonius, qui hoſtem, locum quem incolæ Molinetum vocant, occupare conantem, ægrè repulerat, & ingenti ignis copia obrutus, & viribus ſuorum diffiſus, poſtquam totos dies octo vim hoſtium ſuſtinuerat, relicto oppido ad Arcem cum militibus, & oppidanis nonnullis ſe recipit. In his fuere Equeſtris Cenſûs notiſſimi, Didacus Boſchius, Marchio Urbi Præfectus; Gabriel Paravicinus Arcis Præfectus; Paulus Martinezius; Nicolaus Sarrio; Nicolaus Vergara; Petrus Burgundus; Petrus Noguerolius; Euſebius Salafranca; Stephanus Rovira; Joſephus Francus; Ventura Fernandezius; Bartholomæus Martinus; & ſi qui fuere alii: qui omnes egregia cum eſſent in

Digitized by Google

Regem fide, cum Mahonio conſtituerant ad extremum uſque ſpiritum Arcem propugnare. Socii autem navales, ubi oppidum ſentiunt defenſoribus vacuum, invadunt primi quà moliti erant aditus, irrumpuntque, atque avidiſſimè diripiunt, nihil morati tormentorum pilis ex Arce miſſis. Irruperat ex altera parte Nepos, cum ſuis Cathalanis, in quos irruentes socii navales, hoſtes eſſe arbitrati, ſagulis ſpoliatos, ac malè acceptos, vix, reclamantibus Præfectis, dimittunt. Sacrum, profanum, nullo diſcrimine habetur; imò quibus modis Divorum imagines irriſerint, ac Sacra omnia, quæque in eis impietatis exempla ediderint, ne piorum hominum aures offendant, ſilentio tegenda ſatius duximus. Mahonius verò ubi ſe ad Arcem recepit, per Decumanam portam ſubitariorum manum, quam miſerat Caſtella, ne brevi abſumtis cibariis, locum dedere cogeretur, Corvino tradidit reducendam, additis nonnullis veteranis ad corporis cuſtodiam. Cum igitur ad planitiem deſcendiſſent, ſtationes militum vitare cupientes, in latronum inſidias paſſim incidunt, quos ſæpè impetu facto, non abſque vulneribus utrinque datis atque acceptis, ſæpè Caroli III. nomine pro militari ſigno inclamato, tandem evadunt, ac ſeſe in Caſtellam recipiunt. Britanni verò, capta Urbe, direptaque, Arcem oppugnare ſumma vi, & mari, & terra, tormentis in eam directis, inſtituunt. Verberantur ex omnibus partibus propugnacula, non perinde ut irrumpentibus aditum præberent, quàm, ut, dejectis prorſus operibus, Arx ſolo æquaretur. Contra Mahonius apud ſe reputans, ſi diutiùs hoſtem teneret, fore ut ſibi copiæ Regiæ venirent ſubſidio, Arcemque conſervaret, & nova munimenta, cryptaſque in hypogæis inſtituebat, igni pluvio hoſtili arcendo (quorum operum ingens, tunc temporis, in ea Arce erat pe-

penuria, quæque ſubinde Philippi Regis juſſu adeò ampla, atque ad omnem cauſam opportuna conſtituta ſunt, ut non ſolùm cibaria, atque omne bellicum inſtrumentum, tutiori, ac ſuo quæque loco hac tempeſtate ſerventur; ſed ſtationes ubique diſpoſitæ, ac præſidiarii omnes ad II. uſque hominum millia concameratis fornicibus tecti, & ab hujuſmodi peſte ſecuri corpora curare, ac ſomnum capere deinceps poſſent) parciùſque tormenta explodebat, ne maligna pyrii pulveris copia, quam apud ſe habebat, inutili conatu abſumeretur. Hujuſmodi autem erat oppugnationis ratio: Quas diximus in oppugnanda Urbe naves adjeciſſe duas, altera nempe Batavica, ad occidentem Urbem eò vergentem, mox Arcem quatiebat: Britannica altera ad ortum, quæ maximè fuit obſeſſis detrimento; quippe, cum Arx declivitate ſua in illam unicè propenderet, nullus omninò locus ſupererat, quò ſe reciperent, præſentiſſimum exitium declinaturi, adeò omnia deſtinatiſſimis hoſtium ictibus patebant. Quamobrem nihil tam eorum fregit animos, fiduciamque dejecit, quàm infeſtiſſima illa navis, quæ pilis ferreis adeò totum Arcis ſolum conſtraverat, ut non niſi cæſpitantes, & lapſabundi gradum movere poſſent præſidiarii. Quōd tamen illi non fuit impune, quippe ejus latere duabus pilis ſubtùs aquam trajecto, multum admiſit pelagus, cumque illam, ne mergeretur, ſubducerent per patentem in puppe feneſtram, tertius globus immiſſus, quicquid illi fuit obvium, deterſit, ſtratis hominibus duodeviginti. Quanquam id etiam in majorem recidit obſeſſorum perniciem, cum pro una navi ſemiquaſſa, duas integras ſubſtituiſſent. Huic malo accedebat, quòd in Arce fons nullus, ſed hybernæ tantùm pluviæ in æſtivam penuriam reſervatæ: & hujuſmodi copiam ciſternæ excipiebant, in quarum alteram cum ca-

Digitized by Google

nis caſu fuiſſet delapſus, in eaque periiſſet, aquæ vitium contraxerant. Nec tamen idcircò inutiles factæ; cum inde præter aquam ad potum, ad omnes nihilominùs humanos uſus aquam peterent. Altera levandæ ſiti, carnibuſque elixandis deſtinata erat, ſed brevi exhauſta, tantam attulit obſeſſis ſalutis deſperationem, ut neceſſaria re compulſi, ſe dedere cogerentur. Et hæc quidem fama tunc tenuit. Re autem vera unquam eò ventum non eſt, ut aquæ penuria laborarent, præſidiariis (qui tum temporis non multi admodùm erant, ſed ad CCCXXV. omninò) ad menſem facilè ſuffecturæ, ſed ignis copia, cum Britanni centum viginti pilarum millia, globorum autem nitrato pulvere refertorum millia ſex, in Urbem, Arcemque fulminaverint, quòrum vi factum erat, ut, quo ſe tegerent obſeſſi, vix eſſet reliquum quicquam loci. Cæterùm Mahonius, deſperata Arcis defenſione, quàm potuit honeſtiſſimè, paciſcitur, datis quoque duobus temporis diebus, quibus liceret auxilia expectare. Fuit autem, ut, cum in deditione paciſcenda, pro ſe quiſque acriùs contenderet, quidam Britannus ex ductorum ordine, Mahonio ad aurem inſuſurraverit, *fruſtra ſe de toleranda obſidione cogitare, cum in ipſa Arce verſaretur Neapolitanus quidam Præfectus, qui de illa prodenda ſecum tranſegiſſet.* Quod certè callidi hominis ſtratagema fuit ad hoſtem circumveniendum. Alioquin enim impunè non tuliſſet, quiſquis proditionis auctor fuiſſet, cum in Mahonii eſſet poteſtate, hominis iræ immodici, ingenio ſævi, ultionis avidi, & ad immania quæque perpetranda facti. Undè cum tres illi Præfecti Neapolitani, Ferdinandus nempe Caracciolus; Placidus Denticius; & Joſephus Mariconda cohortes ſuas duxerint poſtea, falſò, de proditione id ferri, paulò prudentioribus creditum eſt. Enim verò producta oppugnatio fuit ad quin-

quintum, & trigeſimum diem; ſiquidem oppugnari cœpta eſt arx Calendis Sextilibus; ab oppugnatione verò ceſſatum IV. idus Septembris, ipſo meridie, quòd Mahonius renunciaſſet hoſtibus, cum illis opus ſibi eſſe convento: quo factum, ut illo ipſo die hora nona, in colloquium venirent, quod ad noctem uſque protractum eſt. Quod quidem tempus multò longiùs à Mahonio productum eſt, quàm ſibi à Rege eſſet conſtitutum: à quo habebat in mandatis, *ut Arcem illam traderet, niſi, intra certum tempus, copiæ ſibi ſubſidio adfuiſſent.*

16. Redierat, jam inſtituta oppugnatione Alonenſi, ex Caſtella Peterborwius, à Joanne Cereceda equitum Præfecto, impedimentis omnibus in itinere exutus, ac vehementer in Fœderatorum ductores iratus, quòd ſegni imperio, dato Philippo ſe colligendi ſpatio, copiaſque cogendi, rei benè gerendæ maximam opportunitatem prorſùs corrupiſſent. At privati doloris longè alia fuit ratio: à Luſitano ſcilicet Ductore, Minienſe Marchione, qui in Caſtellam cum exercitu irruperat, ab imperio ut diſcederet, eique copias traderet, impetrari nunquam potuit; undè ne ſub Luſitani auſpiciis militare videretur, cum Britannici nominis dedecore, ab exercitu diſceſſit, atque in Valentinam Provinciam reverſus fuit. Ubi autem Urbem intravit, Baſeti ex continenti, ob maleficia in rempublicam, comprehendendi, Britannis equitibus negotium commiſit, qui tunc temporis Sætabi verſabantur. Eò cum perveniſſent, hominem prehenſum, cum graviſſima populi offenſione, ad Dianium diducunt, ubi navi impoſitum Dertoſam avehunt, ac in Arce in cuſtodiam tradunt. Quod factum ita violenter tulit etiam Valentinus vulgus, ut parùm abfuerit, quin vel ipſum Peterborwium violaſſent; quod veritus, acrioribus cuſtodiis, ædes Joannis Caſtelvinii, foro Do-

mi-

Digitized by Google

minicanorum imminentes, quas habitabat, ſepſit, & tormentis antè fores collocatis, affluenti multitudini, quæ Baſetum ſibi reſtitui poſcebat, terrorem incuſſit, atque ab incœpto deterruit. Poſtea verò loci, vel populi demulcendi ſtudio, vel tegendæ calamitatis in Caſtella acceptæ, ſpectandi alioquin ipſe cupidus, taurorum venationem edidit extraordinariam. Erat enim ille vir comis in primis, providus, laborumque patiens. At ubi negotia faciebant locum, otio, liberaliter, lautèque, non ad hilaritatem modò, ſed ad luxuriam abutebatur: ita ut in eo homine virtutes vitia ſuperare viderentur. Verùm abſoluta venatione, Valentia ſolvit, & Alonem verſùs curſum tenuit; eòque pervenit, cum Mahonius auxilii ſpe fruſtratus, Arcem, ſeque ſub certis conditionibus dediderat. Rem tranſactam probavit, atque Mahonium liberaliter exceptum cum Neapolitanis Præfectis (nam ejus Nationis gregarii milites penè omnes ad Archiducis partes tranſierant) Gades uſque deducendum juſſit. Ipſe verò, ſublatis anchoris, Genuam, ubi hiemavit, profectus eſt.

17. Secundùm ejus abitum, in deditionem accipiendi Murcienſem Urbem, ſpem ceperant Auſtriaci: cujus Cives, ut eſſent circa Regem animati, docuit eventus. Huic igitur expeditioni Philippum Valeram præficiunt, haud obſcuræ famæ inter militares viros, qui ex Valentina Provincia ad Archiducem defecerant. Hic cum copiarum parte, & latronum manu, quæ Alonem expugnaverant (ad mille equites habuiſſe ferebatur, Britannorum cohortes duas, & vix duo millia ex Provinciæ delectu) additis tormentis muralibus IV. minoribuſque duobus, & carris XXIX. cum commeatu, & inſtrumento militari, Murciam tentatum proficiſcitur, non tam quòd exigua manu Urbem ſatis amplam

plam capi vera vi poſſe conſideret, quàm nonnullorum Civium opera, qui Archiducis partibus occultè faventes, patriam prodere cupiebant. Perculerant hujuſmodi rumores Civium bonorum animos, atque eò crediti, ut Epiſcopus, ſalutis públicæ diffiſus, Urbem exceſſerit, & quidem hac potiùs ratione ductus, quàm quòd nefas eſſet, Proregem (hoc titulo Valentinæ Provinciæ præfectus fuerat) in obſeſſa Urbe includi. Sed longè aliter res cecidit, nam etſi primo congreſſu arriſerat hoſti fortuna, quòd ejus antecurſores, in vico, Alcantarilla dicto, Granatenſem cohortem, ſubſidio Murcienſibus miſſam, abſque vulnere ceperant, & Orcelim inermem miſerant; tamen ubi primo ſucceſſu elati, Urbem propiùs accedunt, adverſa, durioreque conflictare coguntur. Siquidem oppidani, cognito hoſtium conſilio, & ſuperfuſo flumine agros inundarunt, & ædificium pyrobolorum dictum, quod erat in itinere, præſidio firmaverunt. Hoſtes verò iter impeditiſſimum ingreſſi, ægrè perquàm, ac difficulter cum propiùs ædificium veniſſent, qui in ſtatione erant, ſclopis in eos laxatis, parviſque tormentis, perturbant: ſed mutua adhortatione confirmati, pertinaciter locum invadunt. Dum verò moliuntur, fixis altiſſimo cœno pedibus, crebris glandium imbribus compluti, cedere coguntur: at fugam tamen corripere loci iniquitas, in quam ſe temerè conjecerant, impediebat. Murcienſes interim in hoſtes miſerè hærentes, uti tenaci luto ſemihauſtos, proptereàque certo ictui obnoxios, jaculari ex tuto haud ceſſabant, donec ex illa cavea tanquam emerſi, ſicco campo fugam perſtrenuè arripuerunt. Vulnerantur Joſephus Nicolaus Valentinæ cohortis præfectus, aliique promtiſſimi, qui cum interfectis, quingentorum fermè numerum implebant, quorum ma-

Digitized by Google

major pars ex Britannicis vexillis, qui naturali corporum gravitate preſſi, haud facilè ex ea fraude ſeſe expediebant. Reliquæ copiæ Orcelim, amiſſa impedimentorum parte, celeriter revertuntur.

18. Intereà autem loci rumores increbreſcebant, *Archiducis rem in Caſtella malè geri, & Fœderatorum exercitum undique ab Regio equite carptum, fame, ferroque clauſum teneri: nec in Luſitaniam redire poſſe, niſi certæ cladi eum vellent objicere Ductores.* Et quidem res innotuerat, vel publicis libellis, typis percuſſis, ab uſque Regia ipſa perlatis, inter eos maximè, qui tacita ſtudia clandeſtinis cœtibus colebant. Undè paulatim in vulgus effluebat. Nec multò poſt, litteris ab Archiduce miſſis, id penè licuit comprehendere, quarum hæc ſumma erat: *Ut rei frumentariæ conſuleret Cardona, quando Fœderatorum Exercitus, ob diverſas Ductorum ſententias; diſſidiumque inter eos ortum, Valentiam petere cogebatur, hyemandi cauſa.* Requirebat etiam *de Murcienſi expeditione, cujus rei exitus ad ſe nondum perlatus.* Hujuſmodi litteras typis mandant, ne quid majus ex Principis, copiarumque adventu in Urbem, populus ſuſpicaretur. Res verò quanquam ſilentio tranſmittebatur, haud tamen paulò prudentiores fugiebat, quo eſſet in ſtatu res Auſtriacorum. Cardona igitur juſſa faceſſit, ac brevi immanem frumenti vim ex feraciſſima illa regione Orceli inſtituit. Dat etiam negotium Seviris Capitalibus, quòd vulgari ſentiebat, quæ maximè erant tegenda, ut immodicos diverſarum partium fautores Urbe expellant, qui, nulla Ordinum habita ratione, ab omnibus penè Cœnobiis viros ſapientiâ conſpicuos, & famæ integros, inſolenter extruſos, ex Provincia exterminant. Hyacinthus Ortinius, & Ximenius Gloris, Nobiles ex Eccleſiaſtico Ordine, cum Andrea Vitale, & Emanuele Barberio,

navi

Digitized by Google

navi impoſitis, Barcinonem apportantur. Eadem mulctati pœna Jacobus Badia, & Bartholomæus Quiles ex Eccleſiaſtico Ordine. Ex Nobilitate, Franciſcus Bonus cum aliis ſex, aut ſeptem è plebe. Ex quibus Ximenium cum ex Seviris Capitalibus unus, Terraza dictus (qui ab Auſtriaco non multò poſt Collegio motus fuit) per vim, ex atrio Templi maximi, nihil tale opinantem expuliſſet, Rocamora, haud quanquam minacibus Cardonæ mandatis permotus, audacem, atque impium illum hominem Anathematis pœnam in Bulla, quam in cœna Domini vocant, inflictam incurriſſe, publicè in eodem Templo pronunciari, eumque ſceleratorum numero haberi juſſit, Auſtriacis vehementer indignantibus, qui odio partium ab eo id factum prædicabant. Inter alios denique, quos in exilium miſit à principio motûs Auſtriaca Dominatio, recenſentur Petrus Benedictus Gerbetus; Baptiſta Cabrera; Vincentius Vazquezius; Dionyſius Diegus; Jacobus Sala, & Rochus, P. Vincentius Clua; Franciſcus Royus; Petrus Matthæus; Franciſcus Sanchezius; Franciſcus Comes; Franciſcus Alphonſus; Vincentius Suarezius, & Joſephus F. Carolus Robertus; Thomas Ventura; Petrus Eſcovedus, aliique ex plebe homines ad XX. Sub hæc, pinnas muri obſtrui juſſit Cardona, cubitalibus ferè cavis relictis; per quæ cava ſclopis ex occulto hoſtem, ſi uſus veniret, peterent ſubeuntem, & muri faſtigium, pinnis antea diſtinctum, nova ſtructura obductum, propugnatores tegeret. Tum ad portam Regiam, quòd ea pars flumine circumluitur, uti minùs ſuſpecta, haud multum opere emunitum habebat murum, additis operibus communiit. Oppidulum inſuper ab Urbe bis mille paſſibus diſtans, in littore ſitum, quod Gradum appellant, foſſa latiſſima, & aggere circumdari juſſit.

19. Et

19. Et hæc quidem tum ad Urbem, non perinde ut hoſti objiceret munita loca, quàm ut ea ſpecie, pecuniam ingentem, ex publicis, privatiſque depoſitis erutam, rebus dubiis conſtiparet. Sancta Crux verò, & Rafalis, coacta ex Carthaginenſi agro, & Orcelenſi, & Alonenſi, hominum multitudine, quibus veteranorum copias ex proximis præſidiis conjunxerant, Murciam iterùm cum eodem inſtrumento militari oppugnandam proficiſcuntur, ut ſuperiorum dierum eluerent ignominiam. Qua in Urbe tunc minùs trepidatum eſt, quòd ad eam in fide conſervandam, lectiſſimam, numeroſiſſimamque cohortem, ab exercitu disjunctam, miſerant Regii. Sed vix ad Urbis conſpectum pervenerant, quam mutato loco, & oppugnationis ratione, quatere parabant, cum de Archiducis profectione, cum exercitu Fœderatorum Valentiam verſùs inſtituta, contra ſpem, votaque cognoſcunt, deque adventu Regiarum inſuper copiarum, quæ diutiùs inſecutæ Auſtriacum, ad eam Provinciæ partem, quam ipſi tunc tenebant, jamjam adventare ferebantur. His nunciis acceptis, metu vehementer perculſi, fugæ ſe dant adeò præcipites, ut bonam impedimentorum partem, præ feſtinatione, in itinere reliquerint. Sancta-Crux cum equitatu Carthaginem novam, Rafalius cum peditibus Orcelim exanimatus pervenit: nec tamen fugam ſtitit, quòd parùm tutò in ea Urbe morari exiſtimabat, donec ſe ſuoſque intra Alonem compegit. Franciſcus autem Medinilla Legionis Præfectus, cum equitibus M. totidemque peditibus veteranis, adjunctis ex Murcienſi agro IV. M. armatorum, cognita hoſtium fuga, Orcelim ſtatim ire pergit. Quò cum perveniſſet ad VI. idus Octobris, milites ex continenti ſuburbia invadunt, atque ædificia aliquot globulis nitratis, quod ex eis oppidani tanquam ex tuto in militem jaculabantur, incendunt. Pugnatur diu

Digitized by Google

diu acriter: ſternunturque milites non pauci tormenti diſploſione in via collocati, & multo glandium numero referti, quà irrumpere Regii rei imprudentes tentaverant. Inde ejecti, per aliam portam, cujus fores ſubjecto igne corruperant, invadunt Urbem, & fuga defenſoribus prolapſis, quorum exiguus fuit ſanguis factus, quod vel Urbe, deſperatis rebus, per averſam partem exceſſerant, vel ad Templa trepidi confugerant, brevi occupant, atque diripere incipiunt. Equitatus interea aperto campo habet obviam, ex Sætabitanis turbis haud contemnendam manum, cum CD. Ruſticis ex proximis agris, qui, arreptis armis, unà cum equite ſuppetias Orcelenſibus laturi feſtinabant. Hos Regii deceptos Caroli nomine, quod pro militari ſigno inclamabant, ſtatim invadunt, pauciſque fuga elapſis, reliquos omnes trucidant, ſicque Ruſticæ ſtoliditatis, & audaciæ pœnas dederunt. Quo facto, per portam, quam Collegii vocant, pulſis excubitoribus, in Urbem irrumpunt, ac relictis in foro equis, ad prædam dilabuntur. Nec ſegniores in direptione Granatenſes, qui in ædibus Dominicanorum ampliſſimis, in cuſtodiam dati ſervabantur: ſiquidem in eum locum oppidani, tanquam in aſylum, veſtem multam, ac pretioſiorem ſuppellectilem contulerant, in quam primi omnium captivi, mutata fortuna, manus injecerunt avidiſſimè, ac præda bene onuſti, irrumpentibus ſociis locum, in quo ingentes opes erant congeſtæ, demonſtrabant. Per totos tres dies victores Urbem prædæ datam exhauriunt, donec adveniente Epiſcopo Murcienſi, per præcones prædandi licentia cohibita eſt. In expugnatione deſiderati, pedites ad LXXX. equites XII. Urbe capta, qui Arcem in edito colle poſitam tenebant oppidani, haud repugnare auſi, eam turpiter deſerunt, atque in fugam ſparguntur. Poſt hæc,

Digitized by Google

juſſis arma tradere oppidanis, ingenti foſſa, derivata à præterlabenti flumine aqua, quæ eam repleret, cingunt Urbem, & tumultuariis munimentis firmant, ac denique in hybernis VIII. Gallorum millia collocant. Nec multis poſt tempeſtatibus, Arcis turre de cœlo tacta, qui in ea ingens nitrati pulveris modus aſſervabatur, repentè incenſus, partem Arcis demolitus eſt, & ad C. Gallos ex præſidiariis exanimavit. Quapropter uti inutilem juſſit Rex haud multò poſt ſolo æquare.

20. Dum autem Orceli hæc gerebantur, ad Ilicem, ubi non multi equites Sætabitani, & Britannorum auxilia, omnes M. numero præſidium agitabant, pervenit Jacobus Fitz Jacobi, Berwickii Princeps, Britanniæ Regum inclyta ſoboles, ac Hiſpano-Gallici Exercitûs ſummus Imperator, cum omnibus copiis, ad numerum XXV. M. militum. Suburbia mox invadunt undique, atque diripiunt. Nec mora, præter Ductorum imperia, in oppidum irrumpunt. Præſidiarii ſubita correpti formidine, repugnare non audent, ſed in foro conglobati, abjectis armis, dedunt ſe ingruentibus. Prima tamen irruptione multi oppidani confecti ſunt, profectò ad CLXXX. Quorum plerique inſontes, qui rectè factorum conſcientia freti, nihil tale verentes, irruenti militi ſeſe objectarant: quaſi innocentiæ titulum, ac Philippi nomen, in fronte geſtarent. Hos omnes abſumſit belli furor. Cæteri, qui cauſæ parum fidebant, partim fuga ſalutem quæſiverant, partim in diverſas latebras ſeſe abdiderant. Bona autem pars (ut in extremis malis evenire ſolet) ad Templa confugerat.

21. Poſtquàm autem in hunc locum adducti ſumus, quoddam ſeſe offert conſtantiæ, & pietatis exemplum, quod nobis prætereundum non eſt, propterea quia memoria noſtra fortaſſe nullum editum

fue-

Digitized by Google

fuerit, nec illuſtrius, nec Chriſtianorum animis inſtituendis locupletius. Suburbanum delubrum eſt, Divo Joanni Sacrum, in quod multi præſidii cauſa confugerant, ut religione ſaltem loci hoſtem averterent. Curionis munere fungebatur Montorus quidam, homo inſigni, tum pietate, tum prudentia, qui, ut milites templi ingreſſu arceret, ſacratiore veſte indutus, Sacramentum manibus prehendit, & limen occupat. Advolarat illò miles globarius (*Granaderos* vocant) cumque limen ſeptum videret, ut hominem inde amoliretur, globo nitrato ignem immittit, inque eum projicit: qui, nullo edito fragore, per ſpiramentum exinanitus eſt. Nec interim Curio de ſtatu motus. Irruit alter, & cuſpidato ſclopo punctim adacto, frontem ejus vulnerat, & humi proſternit. Ille autem denuò exſurgens, deterſo tantùm ſanguine, qui ad oculos defluebat, in veſtigio conſtitit. Quo factum, ut milites, tanti viri reverentia permoti, pedem referrent; indeque digreſſi, alterius januæ foribus diffractis, quæ graviter fuerant obſeratæ, aditum ſibi fecerunt, Templumque expilaverunt. Aliud verò Templum, quod eſt intra oppidum, longè ampliſſimum, atque ornatiſſimum, in quod oppidani opes congeſſerant ſuas, Joſephus Alphonſus Secundarius cohortis navalis Præfectus, tuebatur cum Hiſpanorum ſtatione, ne quid temerè facerent milites prædabundi. Dum autem imperio ante fores Templi fungitur, in ædibus, è regione, audiit puellam Divorum fidem implorantem. Accurrit extemplò, quid mali eſſet ſuſpicans, ac militem Gallum, vim inferre virgini conantem, gladio capiti impacto, proſternit, eamque ſeminudam ad Templum, quò conceſſerant mulieres, deducit. Dignum profectò homine Hiſpano facinus, & ad poſteritatem tranſmittendum.

22. Cæterùm Berwickius, cum concitatam multitudi-

tudinem ſiſtere neglexiſſet, ubi prædandi detonuit procella, jumenta, à militibus in direptione abacta, exquiri juſſit, ac oppidanis cum veſte multa reſtitui; queis poſteà arma tradere juſſis XX. M. aureorum mulcta indicitur. Tanta porrò erat inſtituta per eam Regionem frumenti copia, ut Berwickius per dies complures copias abundè aluerit, in queis erant VIII. equorum millia, & jumentorum innumera multitudo comportandis impedimentis. Ea igitur Provinciæ parte exinanita, & ad ſolitudinem penè redacta, furentis militaris vulgi ſævitia, quæ anteà erat frequentiſſima, & ſoli ubertate, & negotiationis maritimæ incrementis, (quandoquidem ex Ilicitanis familiis MD. vix, aliis alia peſte abſumtis, pluribus ferro, fame, animique ægritudine DC. ſuperfuere) Carthaginem novam oppugnatum copias duxit. Qua Urbe recuperata, præſidioque firmata, ac per hybernacula diſtributo in Caſtella milite, in Regiam profectus fuit. Hoſtes verò, amiſſo frumento ad ea loca in publicum inſtituto, magno afficiuntur incommodo, nam reliqua Provincia maligna ejus copia laborat, fructuum alioqui ferax: unde privato, dum ſuccidanea convehitur copia, ali militem imperatum eſt.

23. Per id tempus, Cardona, ante Auſtriaci adventum in Urbem, decretum ab eo obtinet, ut Rocamoram, qui impium Terrazam religione liberare ſe poſſe negaverat, cum ferrentur Theologorum, Auſtriacorum partium fautorum, ſententiæ, quibus docebant, id certè fieri poſſe, etiamſi Bullæ Cruciatæ Caroli Regnis conceſſum non eſſet privilegium, extra omnem Regionem ejus Juriſdictionis expelleret. Quod ſtatim exſequitur ex Capitalibus unus, Sanctius dictus, cui hæc provincia demandata, & hominem vehiculo raptum ſubitò, aurigæ indicitur, ne antequàm Almenaram perveniat, ab ſe

ſe dimittat. Quo facto ad Aragoniam inde proficiſcitur: & Canonicorum Collegium, qui id muneris ſuſtineret, Petrum Lazarum ſuffecit.

24. Sub hæc, Archidux curru ſejuge vectus, unà cum Antonio Liechtenſteino Principe, ejus nutricio, Urbem ingreditur, ingenti populi plauſu exceptus, cui extra portam effuſiſſimo ſtudio obviam proceſſerat. Extempló æris campani ſono, tormentorumque fragore ſignificatur adventus: & tota Civitas gratulantium clamoribus reſonans, quanto amore eum exciperet, declarabat. Præcedebant, ſequebantur, & quibus modis lætitiam teſtabantur, ſatis dici non poteſt. Advenere mox copiæ Luſitanorum cum Britannis, Bataviſque, quarum robur trans Sucronem, quòd ad eam partem Hiſpano-Gallicas deflexiſſe ſenſerant, collocant in hybernis Ductores, militemque ærumnis, laboribuſque infractum, per hoſpitia diſtribui imperant, viribus, alimento, quo maximè indigebant, reparandis: cujus defectu, & in caſtris, & in itinere, magnus eorum numerus interierat. In citeriore Provincia bonam etiam partem diſtribuunt equitatûs. Tormenta, gravioraque impedimenta ad Urbem comportant.

25. Quibus rebus perfectis, Minienſis cum primoribus Luſitanorum, & Gallovæus, natione Gallus, ac Catholicus, auxiliorum Ductor, ad Urbem perveniunt, unàque Hiſpani Optimates aliquot, qui ab afflictis Philippi partibus, majori fortaſſe ſtudio, quàm conſilio acti, ad florentes Archiducis tranſierant, more ingenii humani, quod vel odio rerum, vel ſpe aliqua aſſidua rapitur: & quidem quò plura habent cupidi, eò flagrantiùs ardent ampliora, forte nunquam contenti ſua: ſicque rationis ſæpe numero ab affectione ſuperatæ pœnas luunt, cum res ſperatæ longè infra votum reſpondent. Verùm cis

Digitized by Google

paucas tempeſtates, rebus omnibus paratis, ad publicum Principis ingreſſum celebrandum, & ſacramenti dicendi dignitatem, ſolemnis inſtruitur pompa, qua extra portam ad Caſtellam ducentem variis picturis ornatam, ab cunctis Magiſtratibus, & Ordinibus exceptus, poſt ritum tradendi portarum Urbis claves peractum, umbraculo tectus ſerico, quod haſtis inauratis innixum Magiſtratus portabant, & Urbis primores excultiſſimis veſtibus exornati, vias, quæſitiſſimo apparatu, in ſpeciem ſplendidiſſimi triumphi excultas, prætervehens, ad Templi Maximi limen perducitur. Inde ad aram maximam dicto Sacramento apud Antonium Ferrerium, Segorbienſem Epiſcopum, qui ad id muneris fuerat accitus, porrectaque ad oſculum manu, vias Urbis rurſus ambitioſo comitatu præcedentibus, & ſubſequentibus ſtipatorum turmis, perluſtrat. Cujus rei viſendæ ſtudio, ex univerſis Provinciæ locis, ingens multitudo cum liberis ad Urbem confluxerant, quæ vias, fora, templa, ædes compleverant, ut, ne ducendæ pompæ ordinem interturbarent, fuerit neceſſe, opifices armatos in ordines dirigere pepetuos, ut inter ſe contingerent, ac vias omnes, quà Princeps erat tranſiturus, implerent. Accenduntur ea nocte lumina publici gaudii cauſa, atque adeò luminibus omnia collucebant, ut nox in diem mutari videretur. Per dies ſequentes manum præbuit oſculandam, matutinis horis impenſis Chriſtianæ pietatis officiis, quibus religioſè admodùm intererat, ita ut omnibus admirationi eſſet, & exemplo, qui exuiſſe Aulas pietatem credunt.

26. Eſt lacus, quem Plinius amænum vocavit, ad III. paſſuum millia; Ab oriente adjacet mari, cujus conflictibus, ſtatis temporibus, communicatis aquis, ex eorum commercio ingentem contrahit piſcium fecunditatem. Nec minori frequentatur aquatilium copia,

copia, quibus adeò abundat, ut, cum ex aqua ſeſe tollit earum agmen, denſiſſimam nubem efficere videatur. Quo tempore aucupes inconcluſas, undidique circumdatis lembis, jaculantur ſclopis, atque dejiciunt. Quo genere aucupii præ cæteris Valentini delectantur. Ad hæc venationis quoque accedit voluptas: nam ſaltus illi adjacet ferarum proventu nobilis: ut non immeritò in ſummis Urbis deliciis habeatur locus. Ad hunc igitur locum, & piſcationis feraciſſimum, & aucupii, ſucciſivis horis ventitabat Auſtriacus, aucupii varietate illectus, quo certè mirum in modum oblectabatur. Nec alia viſus eſt unquam uti animi remiſſione, dum Valentiæ commoratus fuit.

27. Inter, hæc XIV. Virorum Collegio nonnulli moventur, alii ad ſublimiores Dignitatis gradus evecti: in queis Mercaderius (quem aliàs memoravimus) ad Supremum Aragoniæ adſcitus. Horum loco alii lecti ſunt. Collegium autem ſic ſtabilitum, acta omnia Philippi, ejusque dominationis tempore judicia, Dignitatesque ab eo collatas, quòd nullo jure, nulloque honeſto nomine (hæc ita jactabant) Hiſpaniarum Imperium invaſiſſet, tanquam illegitimi Principatûs ſanctiones, ac beneficia, reſcindi, abrogarique decrevit. Ergò Officia tanquàm in præmium fidei Auſtriacis, pecuniam contra deferebantur. Ex reditibus ampliſſimorum Sacerdotiûm, eorumque qui Provincia exceſſerant, pecuniæ, quæ apud Fiſcum fuerant ſcriptæ, & quæ à multis annis, litigii cauſa, apud ſequeſtres depoſitæ, ac publicæ fidei creditæ, eruebantur; Publicæ item, Subſidii Eccleſiaſtici quæ dicitur, pecuniæ pars, reclamante Canonicorum Collegio, qui eam adminiſtrabant, extorquetur. Alia porrò ſumma pro cujusque facultatibus indicitur, & Eccleſiaſtico Ordini ſeorſùm, tametſi precario, ac muneris data nomine. Debita

Digitized by Google

nulla, penſitationesve annuæ ſolvebantur. Quadrimeſtris tantùm penſio ex Ærario publico tandem ſoluta eſt. Civitatis Magiſtratui (Seviros aliàs diximus) certam monetæ ſummam cudendæ, veniam dedit Princeps, quem ad oſculum manûs admiſſum, ſedere, operireque capita juſſum, *Excellentiæ* titulo auxit. Qua de cauſa XIII. aureorum millia grati animi ergo, ſuſtinendis belli impenſis, ab eodem Magiſtratu illi decernuntur. Ferebatur etiam in vulgus, quemdam Principis Miniſtrum, Romam ad Clementem XI. P. M. cum litteris miſſum, Bullæ Cruciatæ impetrandi privilegii cauſa. Sed hujus rei optatus exitus tunc non apparuit. Fuerant interea adſciti, ad publica Officia obeunda, Equeſtris Cenſûs nonnulli, in quibus Joſephus Arenoſius, Bovilii Marchio, Prætor factus Urbanus, quòd Caſtelvinius Regias partes ſecutus, in Caſtellam conceſſerat. Hic autem Bovilius eos imitatus ferebatur, qui ſe quoque ad motum fortunæ movebant, cum antea Regiis partibus ſtuduiſſet. Hinc, cum animos perſpexiſſet hominum, qui ſuos ſenſus in clandeſtinis cœtibus, illi aperuerant; poſtea, commutata voluntate, malè audiebat, quòd in vincula, odio Regiarum partium, aliquos conjecerit, ac variis modis divexaverit, nihil reputans quantùm ea re invidiæ, & quantùm odii ſui faceret. Per Provinciam autem, præter hoſpitia militaria, quibus etiam beatiores exhauriebantur, ordinum Ductores, qui Auſtriaco militabant, cum ſtipendiis perſolvendis non ſuppeteret pecunia: tum ipſi oppidorum Præfecti, variis calumniis paulò locupletiores terrentes, etiamſi eſſent ex Eccleſiaſtico cenſu, uti Philippi partibus occultè fautores, in carcerem detrudebant, argento emungebant, ac modis omnibus divexabant, & ita malis artibus ſupplementum ſibi parabant ſtipendiorum. Nec ad Cardonæ aures miſerorum hominum querelæ

læ admittebantur, quandò ipſe, vel cum extremis latronibus, quibus hoc bellum mirum quantùm abundabat, prædarum ſocietates compoſuiſſe dicebatur.

28. Caſtellani autem, qui Auſtriaci caſtra fuerant ſecuti, adverſæ fortunæ caſibus conflictabantur; & quidem vel ipſi Optimates, rerum omnium penuriam quam ſubirent, immane erat, cum nequiret Auſtriacus Fiſcus eorum inopiam ſublevare. In his nonnulla hominum mendicabula, quos Cardona per Monaſteria, ubi tenuiter vivitur, diſtribui, & gratuitò ali imperavit, quibus certè dicere licuit, quid ſit incertæ adeò ſpei aleæ uno jactu fortunas, liberos, & ſalutem committere, cujus infauſto caſu cuncta ſubvertuntur, ac funditùs pereunt.

29. Cæterùm nec intereà res quietæ ab armis: ſiquidem perditi homines, & in hoſtico, & in pacato prædari aſſueti; quippè qui per latrocinia, & rapinas vitam tolerabant, Caſtellæ confinia infeſta admodùm reddiderant. Qua in re varia uſi ſunt fortuna, nam cum aliquandò CCC. numero, Cathalani omnes fermè, cum ſuo ductore Petro Alaixio, verſùs Mojam, Arcem in Caſtellæ finibus poſitam in rupe undique impendente, ac ita naturalibus potiùs, quàm manufactis præſidiis defenſam, proficiſcerentur, qui in ea præſidiarii verſabantur, cognito hoſtum adventu, equites in inſidiis collocant, ac pecora agere ad eam partem, ubi equites conſtiterant, hortantur oppidanos. Latrones autem longè jam à mœnibus prædam conſpicati, nihil veriti inſidias, plenis paſſibus pecora vadunt abacturi; Sed cum propiùs acceſſiſſent, ab equitibus temporis puncto circumventi, repentina re perturbati, territique, nulla data venia, trucidantur unà cum Alaixio eorum Ductore. Pauci objectis armis, ex-

 pedita

pedita fuga ſe proripuere, ac per devia, præruptaque montium, intra Provinciam conjecerunt.

30. Eodem tempore, Franciſcus Thomas vetus miles à Sætabi, qui diu Peninſulanæ Arcis tenuerat Præfecturam, & ob tentatam ejus Arcis proditionem, inde ejectus ab Eciavarria, & Carthaginem Novam deportari juſſus, eaque Urbe Auſtriacis prodita, carcere fuerat liberatus, illam Arcem obſidebat, perpetuo præſidio ad Benicarlonum poſito. Erat ingens omnium ſpectatio eam potiundi, quòd annonam obſeſſis deficere, ex quibuſdam militibus laboris impatientibus, per murum elapſis, cognoverant, atque adeò, ut Eciavarria moliti frumenti libram omninò in capita, dieſque diſtribueret. Dum in his anguſtiis verſantur, onerariam Gallicam, cujus ſpe ſe diutiùs penè ſuſtentaverant, ad ſe curſum dirigentem vident, quæ omnes ſumma lætitia affecit. Sed rebelles qui piraticam faciebant, à proxima Vinarozii ſtatione ſolventes, Gallos adventantes invadunt, cumque jamjam caperetur oneraria, rupto repentè rebellium malo navis decumano, elabitur è manibus præda. Interim Galli, cum majorem vim venti vela concepiſſent, in altum rurſùs provecti, periculo ſubducunt ſeſe; Prædones verò, cum velum aliud expandiſſent, denuò eam inſectati, miræ magnitudinis navem conſpicantur plenis ſinibus ad ſe ferri, quam hoſtilem eſſe conjectati, timore correpti, ab incœpto deſiſtunt, & ad ſuam ſtationem inanes revertunt. Demùm oneraria ea nocte Peninſulam appulit, cum ingenti moliti frumenti copia, cæteriſque commeatibus, quibus expoſitis rebus, ſpe Arcem capiendi decidunt rebelles, & ſoluta obſidione, lares repetunt indignabundi. Verùm quoniam periculum erat, ne, ſi rurſùs obſideretur, ac diutiùs traheretur obſidio, invi-

Digitized by Google

invictam Arcem inediæ tormenta expugnarent, & ad turpitudinis conditiones devoluta virtus, cum neceſſitate cogeretur paciſci, haud multis poſt tempeſtatibus, tres aliæ naves, ex Gallia, immanem vim commeatuum ad eam convexerunt, quibus abundè inſtructa, hoſtium conatus exinde eluſit.

31. Haud longè aliter trans Sucronem hibernacula agitabantur. Eſt in ea regione Arx Monteſana, Militiæ cognominis caput, in crepidine montis ſita, extrema parte agri Sætabitani ad occidentem vergentis, & manu egregiè munita: quam, initio motûs, Baſetus præſidio firmare neglexerat, tanquam ſuis rebus parum opportunam. Hanc Mahonius, cum in illis locis verſaretur, cognita loci opportunitate, ſtatim occupavit, relicto ad ejus cuſtodiam Guilielmo Hormara, vetere milite Hiberno, cui attribuit ad LX. juvenes, ex circumjacentibus oppidis, in Regem optimè affectos, qui præſidium agitarent. Ejus igitur Arcis potiundi ſtudio, obſidionem inſtituerant Auſtriaci, & cum tormentis ægrè collocatis, pilas, quibus pons ſuſtinetur, altiſſimæ valli imminens, præruptæque voragini, dejicere contendiſſent, obſeſſi novis operibus, ſi eventus votis hoſtium reſponderet, eum ſuſtentare adorti ſunt. Sed ea cura liberantur, quippe Corvinus, quem Philippus, ante paucas tempeſtates, equitum alæ præfecerat, ex Caſtellæ confinio, ubi tunc verſabatur, cum ſuis equitibus ſubſidio venit obſeſſis. Et quidem ob hominum, & locorum notitiam, & uſum ejus regionis, quem magnum habebat, hæc Provincia ei tradita eſt. Hoſtes verò repentino ejus adventu perterriti, in fugam ſe conjiciunt, quorum nonnulli capti cum Franciſco Cavallero, Latronum ductore, Cathalano, in Caſtellam abducti ſunt: eademque opera ad Arcem commeatum, cujus inopia laborabant obſeſſi, comportavit

in

in aliquot dies. Poſt id factum paucis diebus, quòd eam capiendi ſpem ceperant, ob cibariorum defectum, obſidionem inſtaurant Britanni, variis artibus præſidii vigilantiam eludere conantes. Sed ea diligentia locum obſeſſi tuebantur, ut Britanno Præfecto, & militibus aliquot interfectis, vulneratiſque, hoſtes, & ſuæ virtutis, & eorum temeritatis admonitos, è mœnibus ſubmoverint. Inter hæc, Corvinus rediit cum ſuis equitibus, & jumentis commeatu onuſtis quàm plurimis, ſublevandis ejus penuria obſeſſis. Cujus adventu cognito, tantus terror Britannis inſedit, ut nihil ejus conſpectum moratis, deſertis penè ſignis, obſidionem ſolverint, ac diverſi in hibernacula abierint. Nullum erat tormentum in ea Arce, quo hoſtium opera eminùs poſſent impediri, quapropter ligna fabrefaciunt, quæ annulis ferreis complexa explodi ſuſtinebant. Pyroboia ex globis lapideis excavatis ad CCC. confecere: ac demùm quibuſcumque rebus poterant, Arcem diligentiſſimè muniebant, etſi ea eſt loci natura, ut vel ſaxis fundis vibratis, graviter hoſtem infeſtarent, ſtationeſque promovere impedirent.

32. Nec ſegniùs res gerebatur ad oppidum, quod interjacet Hontinentium, & Biarium in montanis, Regis partibus magna fide devotum, Bagneres dictum, & Arce ſaxo impoſita benè defenſum. Cujus ſaxi ima pars ſpatioſior, in metæ modum exurgit. Abſciſſum undique, & abruptum ſcopulum anguſta ſemita aditur, ac in ædificium deſinit, acutum cacumen repræſentans. In hunc ergò locum confugerat audax quiſque Regiarum partium, & manu impiger. Hi cum oppidanis, & vicinos agros vexabant, & ædificia incendebant, omniaque infeſtabant latronum ritu. Quibus rebus exacerbati cultores, ſæpiùs cum militum manu, qui per ea loca hiemabant, oppidulum adorti ſunt incendio de-

lere.

lere. Sed ea alacritate, animique conſtantia, ex Arce repugnabant defenſores, ut modò per ſe tantùm, modò Regii equitatûs ex proximis hibernis globo aliquo adjuncti, tam malè habuerint hoſtes, ut non niſi ſaucios, fugatoſque dimiſerint. Accidit autem, cum aliquandò vehementiſſimè Arx oppugnaretur, ut Signifer Luſitanus tanto ſe ardore provexerit, ut vexillum ante portam Arcis ſolo defigeret. Cujus exemplo vincendi animum cum cepiſſent milites, ſumma vi irrumpere nitebantur, fores incendio hauſturi. Quo die propè factum eſt, ut caperetur locus, ſed adeò violenter reſiſtebant obſeſſi, augente pertinaciam metu ipſorum meriti, ut Signifero telis obruto, multiſque convulneratis, in fugam reliqui dilaberentur. Quibus in præliis, irruptionibuſque, bina ædificia oppiduli omninò direpta ſint, igneque abſumta.

33. Hæc, atque talia in Provincia agitabantur, quæ ut memoriæ prodantur, ſatis cauſæ non putamus, cum Peterborwius, qui ex Italia rediens, ubi multa in futurum tempus moviſſe creditum fuit, & quæ conſternata erant, confirmaſſe, cum ſuis navibus Barcinonem appulerat, Valentiam rediit, initio hujus ſeptimi anni ſupra milleſimum ſeptingenteſimum. Quo tempore *Petrum, Luſitaniæ Regem, morbo naturæ debitum reddidiſſe* nunciatum eſt. Indictis itaque Exequiis, brevi inſtruitur, in media Templi maximi teſtudine, tumulus magnificus, juſtis Chriſtiano ritu ſolvendis, ciendiſque triſtitiæ imitamentis. Quibus peractis, Fœderati magno ſtudio ad bellum, quæ neceſſaria erant, in ſequentem æſtatem parare inſtituunt. Ferreos clibanos ad uſum caſtrorum ſemiquaſſos, ac penè inutiles recudunt, & novos alios paulò grandiores ducunt. Tormenta, quòd rotis vetuſtate putrefactis ægrè geſtabantur, aliis recens dedolatis librant. Scaphas præterea ca-

rinis

Digitized by Google

rinis planas, pontibus in trajectu fluminum ſuſtinendis opertas, gracillimis auri-chalci laminis forinſecùs impactis, efficiunt, & carris longiſſimis XXX. ſingulas imponunt. (Amiſerant enim in Caſtella, ſuperiore æſtate, quas ex Luſitania eduxerant ſcaphas, cum multis clibanis) Jumenta porrò impedimentis comportandis, præter quas vecturas Cathaloniæ Auſtriacus imperaverat, undique cogunt. Verùm frumenti ingens erat penuria. Idcircò uſque Aragoniam miſerunt proviſum commeatus curatores, ne, ſi quid durius accideret in Caſtella, ejus inopia, rerum gerendarum inita conſilia abjicere, ac belli rationem commutare cogerentur.

34. Qua tempeſtate, ex Majori inſula Baliari, quæ opera Zavallanis Comitis, natione Cathalani, eò Britannicis navibus ſuperiore æſtate provecti, unà cum Ebuſo, proxima inſula, rebellaverat, naves cùm non magno frumenti numero, & paucis equis ad Archiducem venerant. Milites tota Provincia conſcribebantur, queis attributi ſunt caballi aratris ſubducti ad III. M. Cathaloniæ arcibus firmiori præſidio tutandis, & Aragoniæ finibus, quò jam ante dies aliquot, cum non magna manu, Portugalius quidam, Melchioris, quem ſuperiùs memoravimus, frater, dictus Comes de la Puebla, fuerat miſſus. Super hæc, Civitatis, & Regni Magiſtratus ſeorſùm delectus habebant, quòd Auſtriacus certum militum numerum imperaverat, ut Requenam præſidio firmaret.

35. Cum verò tanto omnium ſtudio ad bellum gerendum, quæ neceſſaria erant compararentur, ex arcani conſilii decreto, Auſtriacus profectionem in Barcinonem indicit. Cujus rei prudentiores rationem reddebant, in urbe adeò infirma aleæ plenum eſſe, tam propinquis hoſtibus, Principem, in cujus incolumitate ſumma rerum innitebatur, varios ac

præ-

Digitized by Google

præcipites belli eventus expectare, cum non neſciret, quàm valida auxilia ex proxima Gallia ad Philippum confluerent, qui ſuperiore anno, temporis ferè veſtigio pares vires contraxerat, quibus penè oppreſſum, multò quàm nunc haberet numeroſiorem exercitum, Caſtella turpiter cedere coëgerat, nec ſe latere Aurelianenſem Principem, cum aliis copiis inſtructiſſimis, è Gallia moviſſe, atque in Hiſpaniam iter facere; quæ omnes copiæ, ſi in unum coirent, nulla profectò rei benè gerendæ ſpes fieret reliqua. Denique in Provincia Valentina, nullas ſibi parare urbes munitas, armiſque inſtructas, uti in Cathalonia, quas in adverſa fortuna victori objiceret, ut ejus curſum retardaret, diuque bellum duceret. Alii autem longè alia ferebant, & quiſquè pro ſuo ſtudio rem expendebat. Cæterùm ipſis Idibus Martii, terreſtri itinere, impedimentis navibus avectis, in Cathaloniam proficiſcitur. Quem ſubſecuti ſunt, relicto ad Provinciæ adminiſtrationem Corzana, quem initio operis memoravimus, Optimates omnes, qui ad ejus partes deflexerant, Nationum Legati, & Aulicorum agmen.

36. Per hæc ſuperiora tempora, equites Regii, qui circùm Alonem, ut Britannos agro prohiberent, perpetuo præſidio conſtiterant, certamina cum eis haud ſatis digna dictu ferebant, tenebantque incluſos ad ipſas uſque portas excurrentes. Sed cum Fœderatorum naves eò appuliſſent, atque ad VII.M. militum Britannici, atque Batavici nominis expoſuiſſent, nocturna eruptione equites ſtationarios partim opprimunt, partim fugatos prorſùs amoliuntur. Igitur egreſſa inde valida illa manus, cum eorum Ductore Comite Dohna, Caſtellam verſùs proficiſcitur, cedente equitatu Regio, qui per ea loca exiguo numero hiemabat, atque ad ejus fines

ſines caſtrametatur, opperiens robur exercitûs, cui haud procul Sætabim Minienſis, & Gallovæus undique ad conveniendum, diem edixerant. At cohors Britannica Alone ſeriùs profecta, ut cum reliquis Dohnæ copiis ſe conjungeret, intercepta fuit, atque oppreſſa à Cereceda illo, quem ſuperiùs demonſtravimus, qui cum LXXX. equitibus itinera explorabat. Cui certè facto ægrè poſteritas fidem habebit. Hic cum poſt macerias hortorum equites occultaſſet, & diverſis locis tubicines diſpoſuiſſet, ut variis in locis edito tubarum cantu, equitum numerum ementirentur, ubi videt Britannos inſidias ingreſſos, ſub ſarcinis impeditos, atque inopinantes invadit. Qui mox repentino malo vehementer perturbati, & tot locis tubarum cantibus auditis, rati hoſtium multitudine ſeſe circumventos, iter ſupprimunt, paucisque diſploſis, quibus unum, & alterum equitem ſtraverant, ſclopos deponunt, ſeque turpiter dedentes, facilem Regis victoriam fecere: quos inde impedimentis, armiſque exutos, in Caſtellam aſſervandos duxit.

37. Minienſis autem, & Gallovæus, cum res in Provincia in magna eſſet difficultate (utique frumento utitur importato) ſummiſque anguſtiis rerum neceſſariarum premerentur, coactis, luſtratiſque copiis omnibus, ac Dohna ſibi adjuncto, in Caſtellam pariter irrumpunt, ut priuſquam eſſent majores hoſtium vires contractæ, quas Berwickio venire ſubſidio audierant, prælio decertarent. Si verò diutiùs morarentur, erant in metu, ne cum hoſte multò ſuperiore confligere, vel cum graviſſimo intertrimento, ob Provinciæ anguſtiam, belli molem ſuſtinere in ea, vel cum dedecore Fœderati nominis, aliò transferre cogerentur. Ferebant inſuper exploratores, Berwickium, quòd nondum pabuli copia ſuppetebat in illis locis, ut equitatum, quo maximè valebat, abundè

undè aleret, in hibernis etiamnum Exercitum tenere. Præterea ipſa hibernacula longo inter ſe diſtare intervallo, propterea quia ſuperiori æſtate tota regio vaſtata militem ſatis commodè accipere nequibat, ac ita brevi cogi poſſe negabant. Fœderatorum ergò Ductores, exploratis omnibus, benèque perpenſis, pugnandi neceſſitate porrò adducti, quæ certè in bello antè rationem eſt, rati hoſtem imparatum poſſe opprimi, ſi proxima hiberna ſubitò invaderent, Montalegrum verſùs iter maturant, ubi valida equitum manus verſabatur, quam intercipere deſtinaverant. Quæ res ubi Cantelmio, Prætorianorum Præfecto, per exploratores innotuit, eò accurrit, indeque exire juſſos ad Cincillam, quo loco Exercitum contrahere ductores conſtituerant, omnes reduxit incolumes. Hac ſpe hoſtes fruſtrati, Jeclam, proximum oppidum ab Hiſpanis copiis deſertum, occupant, ignemque, quem illi diſcedentes pabulo injecerant, extingunt, ac præda nonnulla potiuntur.

38. Interim Berwickius, qui ad Albazetem conſtiterat, ubi cognovit hoſtem ex hibernis multò ſpe omnium celeriùs moviſſe, atque ad ſe properare, vires cœperat contrahere, imperia diſtribuere, commeatibus conſulere, ac demùm veteris, & providi Ducis munia diligenter obire. Coactis igitur copiis ad Cincillam, caſtra movet, ac Montalegrum, quò ſe hoſtes provexerant, repetit. At Fœderati, ne Villiena, nobile oppidum in ipſo Caſtellæ confinio poſitum, & præſidio munitum, quam à tergo reliquerant, commeatibus vim inferret, ac ſuis rebus eſſet incommodo, pedem referunt, ac primum oppidum capere ducunt potius, ac tutius, quàm in ſolo hoſtili longiùs progredi. Cæterùm ubi eò deveniunt, oppido facilè potiuntur, hominibus, & præda vacuo. Diripiunt tamen exiguum, quod abeuntes

Digitized by Google

oppidani reliquum fecerant, ædificiaque incendunt, quo facto majore ſui parte conflagravit. Nec mora, Arcem in extremo tumuli poſitam, & ſatis munitam, circumdatis munitionibus obſident, ac diſpoſitis opportuno loco tormentis, oppugnare inſtituunt. Præfecerat Berwickius ei Arci Gallum quemdam ſtrenuum hominem, & rerum belli apprimè peritum, cui C. milites ejuſdem nationis attribuerat, & nonnullos oppidanos in Regem benè animatos. Hoſtes pilis murum verberant diu, ſed cum res minùs ſuccederet, quàm animo perceperant; quippe vetus ſtructura calce optima durata pilarum eludebat incuſſus; ad eam cuniculis actis diruendam ſe vertunt: quibus ab obſeſſis interceptis, atque corruptis, incœpto deſiſtunt poſt diem ſeptimum, paucis militibus in oppugnatione amiſſis. Et quidem fama fuit Gallum Minienſi in xenia miſiſſe panes recens coctos XII. & binas aquæ lagenas, ne ſperaret hujuſmodi rerum inopia Arcem capi poſſe. Dum autem Villienam oppugnant, ad Biarium, è regione ad montium radices poſitum, mittunt nunciatum, *ut ad ſe in caſtra veniant Magiſtratus, Carolo III. obſequium præſtituri, imperataque facturi, quod ſi facere graventur, extrema belli interminantur.* Quam ſupra memoravimus Biarii Arcem, tenebat Gallus quidam Potitius dictus, cum parva ſuorum militum manu: qui cum ultima experiri decreviſſet, ingenti omnes ſollicitudine afficiebat; ſed brevi, & oppidani, & præſidium periculo liberantur, quòd hoſtes, relicta Villiena, ad Almanſam ire contendunt, cum Regiis prælio decertaturi.

39. Inter hæc, Berwickius de ſumma rerum in conſilio deliberabat. Erant qui conandum omnibus modis, & hoſtis caſtra, obſidioni Arcis intenti, oppugnanda cenſebant. Alii tutius exiſtimabant, exploratis hoſtis rationibus, ad Almanſam, quod eſt oppidum

Digitized by Google

pidum in Oretanis, Exercitum ducere, & eo loco rei gerendæ oppido quàm opportuno, poſitis caſtris, & paulò requietis militibus, æquo loco pugnandi facere poteſtatem. Quæ ſententia cum potior eſſet viſa, convulſis mox ſignis, caſtra movent, atque Almanſam proficiſcuntur. Quò ubi ventum eſt, Berwickius, quòd Avila, qui Ajoram, oppidum in ipſis Valentinorum finibus, haud procul à caſtris poſitum, cum LX. latronum præſidio tenebat, proximos Caſtellæ vicos deprædabatur more ſuo ſolens, atque incendebat, rei indignitate permotus, & ut hoſtibus (ut quidem tum præferebatur) ſi Villienæ Arce potirentur, quodam modo vicem rependiſſe videretur; Comitem Pintum cum VI. millibus peditum, equitumque, & binis tormentis, mittit in prædones illos animadverſum. Licet maturiùs rem expendenti minùs credibile videatur, tot vires tam parvæ expugnationi eſſe deſtinatas; atque illud poſteà Berwickium in animo habuiſſe, ut ſcilicet hoſtes tantarum copiarum, ab Exercitu disjunctarum, opinione falleret, ac faciliùs ad prælium alliceret: quod poſtmodùm eventus probavit. Pintus igitur, ubi ad oppidum venit, caſtra ponit, rem adminiſtraturus. Quod videns Avila, ſubito pavore correptus, in caſtra ad Comitem venit, & ad pedes ſe projiciens, arma deponit, ſeque, præſidiumque, datis ad id obſidibus, ejus arbitrio permittit. Re in hunc modum compoſita, Pintus C. Wallones, ex Regis cuſtodia, Arcem occupare jubet. Quos, cum intra teli jactum veniſſent, inopinantes, qui in Arce incluſi latrones, apud quos turpis nulla vincendi ratio, glandium procella excipiunt, ac malè habent. Miles repentino malo perterritus, ex oppido ſe proripit, atque in caſtra revertitur. Avila ubi ſtrepitum audit, vitæ ſuæ diffiſus, caſtris ſe ſubducere tentavit, ſed à milite gregario reten-

Digitized by Google

tus, ad Berwickium poſteà deductus fuit, & in cuſtodiam Gallis quibuſdam traditus, qui avaritiæ litantes, accepta ab eo pecunia, clanculùm abire permiſerunt. Pintus autem, in perfidiæ vindictam, direpto hoſtiliter oppido, tormenta dirigere, & Arcem quatere juſſit.

40. Ea dum adminiſtrabantur imperia, ad Pintum miſit Berwickius, qui nunciaret, *ut relictis rebus omnibus, quanta poſſet celeritate ad ſe cum copiis venire contenderet.* Quibus acceptis mandatis, Pintus ad alteram tubam profectionem indixit, ac plenis paſſibus in majora caſtra ea nocte cum copiis, uti imperatum erat, ſatis tempori rediit. Hoſtes autem ſoluta Villienæ obſidione, quòd valida illa manus ex Hiſpano-Gallico Exercitu disjuncta, & Ajoram oppugnatum profecta, haud ſpernendam opportunitatem oſtentabat ejus opprimendi, quaſi parta jam, explorataque victoria, læti iter maturant. Itaque factis ea nocte ad Caudetem caſtris, ſequenti die ad VII. Calendas Maïas Almanſam ire pergunt, quo loco eorum adventum, pugnandi ſtudio incenſi, milites Regii præſentiſſimis animis præſtolabantur. Ubi verò in conſpectum ventum eſt, æquo loco pugnandi fieri poteſtatem puro ac patenti campo cum animadvertiſſent Minienſis, & Gallovæus, militem prælio objicere certi, vel defeſſum itinere, meditati anteà, duplicem aciem inſtruunt. In ſiniſtro cornu curabat Gallovæus cum parte equitatûs, cohortibus nonnullis interpoſitis Britannici, & Batavici nominis, ut invicem eſſent præſidio: media pugna; quæ cohortibus conſtabat XVI. Dohnæ tuenda data eſt. In dextro eadem ratione, ac in ſiniſtro diximus. Luſitanorum inſtruitur equitatus, cui præerat Comes Villaverdius. Ad eumdem modum ſubſidiariam aciem ordinant; ſed non pari militum robore inſtructam. Utrinque primam aciem tormentis XXII. colloca-

tis

Digitized by Google

tis muniunt. Minienſis denique ante mediam aciem conſtitit. Summa copiarum XXII. M. peditum, equitum verò VI. M. fermè. Berwickius eo die cognito hoſtium conſilio, copias omnes, in quibus erant peditum ad XXIII. M. equitum vix IX. M. quòd nondum aliæ equitum turmæ ex longinquis hibernaculis advenerant, ſigno dato convenire juſſerat, aciemque diſſimili ratione inſtruit. Ante primam aciem tormenta VIII. in dextro cornu ponit; totidem ad ſiniſtrum inter duas acies in colle IV. ad mediam. In cornibus equitatum abſque pedite: in media acie cohortes XXIX. collocat. Cantelmius dextro, Daravajus Marchio, natione Gallus, ſiniſtro, Sangilius Hiſpanus mediæ pugnæ proponuntur. Berwickius verò, quanquam antè omnes in fronte conſpiceretur, armis, equoque inſignis; nullo tamen certo loco conſiſtebat, omnibus caſibus occurſurus. Alteram aciem ad eumdem modum ordinat, XXIII. in medio cohortibus, & ad latera equitatu diſpoſitis; ſed virtute, & numero infrà primam aciem, quam ponè Almanſam relinqui placuit. Quibus rebus ſic conſtitutis, omnia impedimenta jumentis impoſita, & tabernacula detendi juſſa, cum inutili famulantium turba longiùs reducuntur. Locus denique ubi Exercitus convenerant, planities erat ſeſe pandens inter colles, ad quos utriuſque aciei alæ ab ortu ſolis in occaſum protentæ pertinebant. Nec aliud erat ad dimicandum impedimentum, quàm rivus facilibus ripis, Hiſpanorum dextro cornu objectus. Cætera æqua undique, atque patentia. Igitur inclinante in veſperam die, tormenta in dextro cornu collocata, quòd hoſtium ſiniſtrum jam intra teli jactum venerat, mittuntur. Faciunt idem hoſtes, qui non recta fronte, ſed obliquata incedebant, adeò ut à ſiniſtro eorum cornu, in quo for-

Digitized by Google

tiſſimum quemque collocaverant, initium pugnæ fieret. Procurrebat ex Regia acie Equitatus Prætorianus, relicta in ſubſidiis Pozoblanchi ala, hoſtem excepturus, qui rivum tranſibat, cumque primi accepiſſent hoſtilem imbrem, mox diſtrictis gladiis, animiſque præſentiſſimis, equos concitant, ac temporis veſtigio hoſtium cornu perrumpunt, ac proterunt tanto impetu, ut per ſtragem corporum, armorumque, quæ in rivo cumulaverant, alteram aciem invaderent. Sed cohortes, quæ permiſtæ erant in auxilium equitatûs, in prima, & ſecunda acie, glandium procella Prætorianos temerè provectos compluunt, & cedere loco compellunt. Quo tempore Britanni equites in ordinem redacti, dum incautiùs premunt cedentes, in Pozoblanchi equitatum incidunt, qui dejectis, atque inferioribus locis conſtiterat. Inſolentem hic hoſtem opportuno occurſu, ac Prætorianos inſequentem ſupprimit, atque ad ſuos recipere cogit. Interim reſtitutis ordinibus, Prætoriani ſecundò hoſtes invadunt. Cumque extremis utrinque viribus pugnatur, animiſque atrociſſimis, rurſùs eadem peſte vexati, inde pelluntur. Cum verò collecti parant, vel fortiter vincere, vel honeſtè occumbere, accurrens Berwickius, Humenam cum ſua cohorte, qui in acie ſubſidiaria primum ad eam partem locum obtinebat, hoſtium pedites jubet invadere, quæ Prætorianos infeſtabant, atque in ea parte victoriam morabantur, quod adeò ſtrenuè Gallis adminiſtratum eſt, ut poſt glandium procellam, inferta ſclopo ferrea cuſpide, obvios confoderint hoſtes, ac brevi deleverint. Quod dum fit, Prætoriani tertiò irruentes, quantùm erat virium in dextras avocant, gladiiſque totum lævum hoſtium cornu concidunt, atque proſternunt. In ſiniſtro, poſitis in colle, uti diximus,

tor-

tormentis, eminùs res gerebatur. Sed cum propiùs fuit acceſſum, hoſtes eam partem circumvenire ſunt adniſi, ut Regii ancipiti malo perturbati faciliùs pellerentur. At quò minùs id fieri poſſet, Berwickius curaverat, qui, initio pugnæ, ex acie ſubſidiaria validam equitum manum cum Mahonio eò miſerat. Hac ſpe hoſtes dejecti, ad gladios rediere. Sed primo Regiorum impetu pulſi facilè, ac diſſipati, fecere primi fugam Luſitani equites, inſequentibus Regiis, qui fugæ aditum præcludere contendebant, ac per aliquot millia paſſuum terga cedentibus. Intereà loci, mediam Regiorum aciem Britanni ac Luſitani pedites, interjectis equitum turmis, facto cuneo, avertunt, flexamque perrumpunt, & eum locum occupant, quem Galli, quibus ea pars data erat tuenda, fœdè cedentes amiſerant: atque adeò hoſtes provehuntur, ut Almanſam uſque (quam poſt alteram aciem relictam diximus) penetrarent, atque à tergo Regios infeſtarent. Cui malo equitum globus accurrit à Berwickio miſſus, qui in eam manum ſubditis calcaribus proruentes, omnes ad unum trucidarunt. Dum hi in cæde verſantur, Galli pedites, quos averterant hoſtes, ac loco depulerant, hortantibus Præfectis, tametſi pavidi conſternatique, in ordines redacti, inſtantibus reſiſtebant; ut, quam paulisper cedendo maculam contraxerant, eluerent fortiter repugnando. Quibus Hiſpani, & Belgæ Prætoriani pedites, extremæ ejus aciei partes, quæ immotæ conſtiterant, opportuno erant præſidio, & hoſti, ne ſuis veluti indagine clauſis, opem foret, impedimento. Cæterùm dextro cornu fugato, & ſiniſtro ad internecionem cæſo, pedites equitum auxilio nudati paſſim trucidabantur, paucis jure belli ſervatis. Quæ videns Minienſis, & in mala ſpe prælium eſſe, equum in fugam verterat, & ingruentis noctis beneficio

Digitized by Google

(quod multis ſaluti fuit) inſequentium manus evaſerat. Gallovæus verò, qui primo congreſſu in fronte, & ſiniſtro brachio duobus acceptis vulneribus, à Regiis captus fuerat, & à ſuis mox ereptus, fuga ſibi pariter conſuluit. At Dohna, cui media pugna tuenda data, collectis cohortibus XIII. Exercitûs reliquiis, ceſſim ire, & prælio excedere cœpit primis tenebris, ſi loca ſuperiora, & ſilvis impedita poſſet occupare, ac inde intra proximam Provinciam ſeſe recipere. Quod à Berwickio animadverſum, cum parte copiarum cedentes perſequitur: loca opportuna occupat, quà elabi poſſe hoſtem verebatur: & ad multam noctem ad caſtra revertitur cæteris rebus conſulturus. Hoſtes autem quanquam nulla re ſibi defuerant, & loco edito quem ceperant, & armis, quæ in victores crebrò explodebant, egregiè ſe tuebantur, tamen eorum Ductor, præreptam ſibi facultatem fugiendi ſentiens, & in eodem loco conſiſtendi, ob aquæ, & rerum neceſſariarum inopiam, tum ratus haud infeliciter ſe cum fortuna paciſci, ſi militem in tam ancipiti diſcrimine ſervaſſet, ad Berwickium mitti legatos liceret, poſtulavit, qui certis conditionibus ſe ſuoſque dedituros polliceantur. Quibus auditis, Berwickius Claudium Vitalem, legatum Dasfeltium dictum, cum aliis copiis vegetioribus eò proficiſci jubet, eique rei componendæ licentiam permittit. Qui tantùm profecit, ut poſtero die omnis illa hoſtium multitudo, poſitis armis, ſupplex in deditionem veniret. In acie multi quoque, ubi pugnandi deferbuit ardor, more militari abjectis armis ſervati ſunt. Circiter VI. M. cecidiſſe eo prælio ferebantur. Captivorum ad XI. M. contracta ſunt. Aliquis numerus in proxima Provinciæ oppidula ſparſus delituit. Tormenta omnia, ſigna militaria CXXX. in caſtra relata ſunt. Ingens præda ceſſit victoribus. Ex quibus tam anci-

Digitized by Google

ancipiti prælio interfecti ac vulnerati ſunt vix II. millia, & D.

41. Millienſis autem cum paucis fugiens, profunda nocte Hontinientium venit, ubi hoſtium propinquitatem veritus, haud tutum diu commorari ducit; ſed Sætabim ire pergit cum adjuncta multitudine, quæ ſatis impigrè fugam maturabat. Quo in loco nec reliquum quidem quod erat noctis, tranſigere auſus fuit. Gallovæus verò, qui Sætabi conſtiterat, inde movens poſtridie manè eum Algeciræ conſecutus eſt, & ut hoſti moram injicerent, trajecto Sucrone, oppidum præſidio firmant, & Culleræ pontem incendunt, ac demùm ad Torrentium propè Urbem conveniunt, fugamque ſiſtunt, quòd uſque eò locorum nihil victoribus impeditum, victis nihil tutum exiſtimaverant. Ibi tribus diebus morati, numerum copiarum ex tanta clade reliquum denotant. Inventi ſunt equitum vix IV. M. pedidites D. alii ſaucii, inermes alii: equi vulneribus debilitati, curſu, atque inedia affecti, inutiles bello diu redditi videbantur. Ad hæc toto paſſim itinere, Valentiam uſque, miſerabile erat ſpectaculum vulneratorum humi jacentium, divorum, hominumque fidem implorantium. Quorum alii ſurgere nitentes, animam in ipſo conatu amittebant: aliis inligata vulnera noctis rore humido, & frigido cœli halitu exacerbata, mortem accelerabant, omni ope deſtitutis. Tantum erat fugiendi ſtudium, ut cives, & commilitones nulla miſericordia commoverentur, tanquam ſi à tergo hoſtis victor inſtaret. Pavor enim, & conſternatio cunctos pervaſerat. Nam præterquàm quòd hoſtium præmiſerant ad Civam exploratum adventum, quò jamjam adventare nunciabantur, Valentinorum etiam motum vehementer timebant, ne irritatis animis in fugientes inſurgerent, more rerum humanarum, quæ fluxæ, & mobiles,

 tum

Digitized by Google

tum aliis caſibus, tum rerum deſperatione in adverſa ſæpiùs mutantur. Ergò quantis poſſunt rerum involucris, acceptam contegunt calamitatem, atque pergunt fugere, qua in re una ſalutem poſitam arbitrabantur.

42. Inter eos autem qui eo die ex Fœderatis honeſtè occubuere, memoria ſanè dignus eſt Robertus Krikrwius, vetus Britannorum Ductor, manu ſtrenuus, & animi magnitudine inſignis. In hunc, inter confertiſſimos violentiſſimè dimicantem, Hiſpanus eques irruens, tranſverſo gladii ictu dexteram demeſſuit, mox pari vulnere ab alio inflicto Prætoriano ſiniſtram amiſit. Cumque Gallovæus hominem prælio excedere hortaretur, nunquam ab eo impetrare potuit: imò jam ſibi deſperans, ſiniſtro trunco brachio inſertis habenis, ſuos vocibus, & præſentia, quibus rebus poterat, confirmabat. Quibus denique occiſione occiſis, cadaverum acervo, tertio vulnere in capite accepto, additus fuit. Ex Hiſpanis qui in eodem dextro cornu conſtiterant, ubi acriùs, quàm diutiùs, pugnatum fuit, Thomas Idiaquezius à tribus hoſtium equitibus circumventus, captuſque, armis, & ſagulo auro intexto cum jam exueretur, ſuperveniens Joſephus Vergeſius, Cæſarauguſtanus, in eos impetu facto, primum breviculo ſclopo laxato, alterum gladio capiti cæſim impacto proſternit, tertium, recuperata præda captivum ducit, ſuumque liberat Ductorem. Nec erit abs re docere facinus Joſephi Grantarlei à Cantabria, equitum Aſturum, qui in eodem dextro cornu verſabantur, Ductoris. Hic cum multa feciſſet in Belgio ſtipendia, Batavicam linguam uſu, & conſuetudine hominum illius Nationis egregiè callebat. Cumque ſe temerè in congreſſu provexiſſet, adeò ut ad ſuos tutò redire non poſſet, proximæ Batavorum cohorti, tanquam ejus eſſet Præfectus, eorum linguam

guam ementitus, quid fieri vellet, conſtanti vultu imperabat; quam ad rivum, quem ſuperiùs diximus (tanta erat hoſtium perturbatio) collocatam cum ſtare juſſiſſet in armis, ipſe opportunitatem evadendi nactus, ſubditis equo calcaribus, rivum ſuperavit, & quanquam fuga detecta fraude, in eum tela laxarunt aliquot, tamen periculo ſe explicuit, & ad ſocios incolumis evaſit. Non plus horæ dimidio æquo marte pugnatum eſt. Et quidem in dextro cornu atrociùs multò, quòd in eo Hiſpani, & Neapolitani Equites Prætoriani primum obtinebant locum: & in ſiniſtro hoſtium equites pediteſque ex Britannicis, ac Batavicis legionibus conſtiterant lectiſſimi. Multùm idcircò eo loco jactum eſt ſanguinis. Octavianus Mediceus, Sarni Princeps, XI. accepit vulnera toto corpore. Ex reliquis Neapolitanis, non Ductores modò, ſed ne gregarii quidem milites abſque vulnere, uno invulnerato Cantelmio. In media acie varia fortuna, ubi propiùs fuere periculo victores, concertatum fuit. Hiſpani, & Belgæ Prætoriani pedites tantùm profecerunt immota ſua ſtabilitate, ut abſque iis eſſet, Gallorum aciem flexam perruptamque nequaquàm quiviſſent reſtituere Præfecti. In ſiniſtro cornu haud pugnatum fuit. Nam præter velitationem, & mox fugam, memoria dignum editum eſt nihil. Nec reliqui ſua laude fraudandi, & milites, & ductores. Quorum omnium ſtrenuè navata opera, virtutiſque experimento, illa profectò parta fuit Philippo victoria. Berwickius denique, & magno conſilio, & animo, nullo loco ſuis defuit, & modò perſtrenui militis, modò gnariſſimi militiæ ducis munia diligentiſſimè obivit; adeò ut ſi verè æſtimare milites volumus, in confeſſo habendum, & Imperatorem talibus hominibus, & illos tanto Imperatore fuiſſe digniſſimos.

LIBER

Digitized by Google

LIB. III.

1. POſtero die quàm ad Almanſam magno prælio certatum eſt, Ludovicus Borbonius, Aurelianenſis Princeps, qui tantæ rei intereſſe ſtudens, brevi temporis ſpatio longum iter fuerat emenſus, votis ſeriùs ad victricia caſtra, ſpoliiſque referta, pervenit. Qui, ut ſummus Imperator, accepto Exercitu, ad reliquum belli opus perficiendum, fructumque victoriæ capiendum, animum contulit. Itaque partitis copiis, Dasfeltium, legatum, quem paulò ante memoravimus, natione Gallum, miſit Sætabim oppugnatum. Ipſe unà cum Berwickio longiore circuitu Valentiam petiit. Ex itinere Requenam recepit abſque vulnere, captis in ea duabus Valentinorum cohortibus, cum ſuis Præfectis Joſepho Belviſio, Equite Hyeroſolymitano, & Joſepho Nicolao, & paucis equitibus Provincialibus. Qui omnes à conatu reſiſtendi perterriti, victoris arbitrio ſe permiſere, atque in Caſtellam penitùs adducti, in cuſtodiam ſunt dati. Inde caſtra movens Civam acceſſit, ac Valentiam tubicinem miſit ad Magiſtratum cum litteris humanitatis plenis, quibus jubebat Valentinos de Regis clementia benè ſperare, modò vellent ad officium redire.

2. Sed antequam res longiùs progrediatur, non fore operæ haud putamus exponere, quænam per eos dies foret Urbis facies, qui hàbitus animorum. Altero poſt prælium, tertio Anaſtaſeos Domini feſto die, pervenit ad Urbem non fama ſolùm, qua nihil in talibus rebus eſt celerius, ſed qui fuga ſubtracti nunciarent, rem apud Almanſam peſſimè geſtam. Quibus nunciis adeò triſtibus, quanquam

quam rebellium animi graviter fuerant perculſi; tamen ea erat rerum, quæ in vulgus efferebantur, varietas, ut cum quiſque ad ſtudium ſuum pugnæ eventum aptaret, paſſim diverſis, incertiſque hominum ſermonibus accederet fides, quam non parùm alebant, & quæ ſeditioſi lingua fortes jactabant; & quæ Auſtriaci Miniſtri in vulgus dabant lætiſſima, quæ quoquo modo audita pro compertis habebantur. Sed ubi vident ſcaphas, clibanos, tormenta, cæteraque belli inſtrumenta, quæ in Urbe reliquerant, temporis momento abripi in Cathaloniam verſùs; eodemque tempore, quo hæc adminiſtrabantur, inermes milites itineris labore, & vulneribus fœdos, qui inter gemitus, indignationemque, quid factum eſſet rogati aperiebant, res tandem credita ultimæ deſperationis attulit mœrorem. Minienſis verò, & Gallovæus cum illa manu, quam ſuperiùs demonſtravimus, Saguntum concedunt, ne, circumventi à ſupervenientibus victoribus, Cathaloniæ aditu intercluderentur, ibique in adverſa fluvii ripa contra oppidum tendunt. Eòdem ſe contulit Corzana ſub ſpecie cum Imperatoribus deliberationem inſtituendi, ne Urbem deſerere prorſùs videretur. Omnibus titubantibus, & de rebus ſummis deſperantibus, opportunè affuit ab Alonenſi portu claſſis Britannica, in quam ſe ſuaque omnia, quæ moveri poterant, celeriter conjiciunt permulti ex immodicis Auſtriaci partium fautoribus. Sed cum adverſis tempeſtatibus in ſtatione adeò infida graviter jactaretur, brevi ſolvit, ac vela ventis dedit. Verùm Magiſtratus, litteris ab Aurelianenſi acceptis, dato quoque conſulendi ſpatio, Saguntum ad Corzanam mittunt, ut quid fieri velit renunciet. Qui, *tempori ſerviendum, quòd nullum haberet Urbi defendendæ præſidium, reſpondit.* Igitur Melchior Gamirius Princeps Magiſtratus, coacto Senatu, diſſimu-

ſimulans ſtudium Regiarum partium, quas fovebat, quantùm ex tuto poterat, Corjanæ litteras recitare, ac commemorare mox cœpit, *quæ & quanta extiterint Valentinorum facinora in Auſtriaci obſequium, cui etiam animas devoverint. Quanta animorum alacritate tot belli peſtiferi in ſe ſponte ſuſcepti mala exantlaverint. Urbis, & Provinciæ vires ſanè quàm attritas. Nihil eſſe uſquam præſidii, vel ſpei alendæ, nedum tuendæ ſaluti. Proregem Urbe exceſſiſſe, eamque non abſque milite modò, ſed, quod indignius, abſque imperio reliquiſſe. Miſeros Cives de eo Principe optimè meritos, victorum telis objectos, tanquam viliſſima capita trucidandos, nemine, qui pro vita ſaltem dedituroruin velit paciſci, reliquo ex tot partium adjutoribus. Præſtare conſilio bono uſos, dare manus, & ad juratam Philippo fidem redire, ac ita Urbis tecta, & eam multitudinem, à qua Urbs incolitur, in tanto diſcrimine ſervare. Imperium victorum victos, ſonteſque deteſtari, vel rigida cervice ſubire, eſſe profectò inexpiabili ſe homines ſcelere impiare, & miſeros fieri longè miſeriores. Suadet in extremo deditionem, uti unicam patriæ ſalutis anchoram: eſſeque bono animo jubet, ac de Regia clementia benè ſperare.* Ubi verba facere deſiit, ut eorum hominum flecteret animos, quos ſciebat haud pronis auribus audire Urbis deditionem, factorum conſcientia ſuis capitibus metuentes, protulit extemplò litteras ab Aurelianenſi miſſas, in quibus omnium rerum amniſtia continebantur. Quibus recitatis, Senatum cœpit conſulere, rogatique qui aderant ſententiam, uno ore, *Urbem Philippo reſtituendam cenſuere.* At Philippus Dominicus ex Equeſtri ordine, qui in Senatum irruperat, rem conturbare cœpit, ac improbis vocibus miſcere omnia; ſed cum ei accederet nemo, Senatu & Urbe excedens, in Cathaloniam profectus eſt. Plebs verò conglobata in foro, ubi Caduceatorem intraſſe Urbem accepit, deque Urbe dedenda

da in Senatu agi, ante Curiam rei exitum expectabat. Interim variæ atque incertæ rerum multitudinis erat fremitus, quam ferociter minitantem quieſcere jubebant æqui homines. Sed latrones Cathalani, & Exercitûs profligati ſervitia, quæ ad Urbem confluxerant, multitudini permiſti, avidos, & intemperantes plebeïorum animos ad ſanguinem pariter, & prædam concitabant. Ubi autem à Senatu Urbis deditionem audiunt decretam, tollunt clamorem: *indignè Urbem Magiſtratûs perfidia Gallis proditam.* Quibus vocibus homines neque frugi, neque operæ probæ fallaci ſpe Urbis defendendæ exciti, Curiam invadunt, vim Magiſtratui illaturi, ſed Civium armatorum centuria, in ipſo Curiæ compito, & intùs in cavædio excubante depulſi, denuò majori impetu, & clamoribus deturbant armatos, qui eos ferire parcebant, ne vulneribus, & ſanguine irritati graviùs ſævirent; irruenteſque in Senatum, manibus tanquam non temperaturi, terrore compleverunt omnia. Senatores, cum aliis ſanæ mentis hominibus, Seviros prima periculi procella ſubducunt, & quid velint exponere, jubent. Illi ferocientes arma, quæ publicè aſſervabantur, depoſcunt: *velle, jubere Populum ad extremum ſpiritum patriam defendi; velint, nolint, reliqui Ordines.* Huic vulgi inſaniæ opportunè occurrit Melchior Maſcaroſius ex Equeſtri Cenſu. Qui, licet ad Auſtriacas partes inclinaret, ac poſteà in Cathaloniam profugerit, ubi aliquot ſtipendia fecerat: tamen ſerviens Patriæ, aſtu cœpit hominum tractare animos, eis morem gerere, &, ut erat facetus, & ſuavis, ſalibus & jocis ſeria miſcens, eorum impetum retardare. Denique ut inde multitudinem tumultuantem amoveret, ſe ſequi juſſit, ac prolatis ex publico armis, inter eos diſperſit, adjectis non magno pyrii pulveris modo, & glandibus. Protinus omnem turbam, ſic armis onuſtam, abire diver-

ſam

ſam fecit mœnibus complendis, ne rurſus coiret, impediretque agenda. Ubi jam videt eos ad alia intentos, hæreticæ pravitatis Quæſitores, genus Magiſtratûs ſanctiſſimi adit, reique ſtatum eis exponit, atque omnia vulgi inſanientis furore corrumpi. Qui arceſſitis extemplò opificum primoribus, eos hortantur, *ad bonam mentem redire jubeant ſuos quiſque gregales, dum res tanſigitur, ne quid temerè facerent, quo patriæ extremam crearent ruinam.* Sic ergò hortati artificum capita, ne quid tumultûs fieri in Urbe paterentur, per omnes temerè vias diſponunt excubias ſui quiſque ordinis armatorum. Nec morà, cum in unum coëgiſſent Cathaloniæ illa ejectamenta, qui in meliorum fortunas, opeſque, plebeculæ animos concitabant, Urbe expulerunt, clauſerunt portas, ac ſuorum præſidiis firmarunt. Sic Urbis ſentina exhauſta, ægrum reipublicæ corpus levari quodam modo viſum eſt. Poſt hæc, Caduceatorem à caſtris miſſum, ne in minaci adeò Populi ſeditione fides publica violaretur, ruſtico ornatu è Curia eductum, cum ingenti periculo vitæ, obſidentibus itinera Ruſticis armatis, & latronibus, ad caſtra producunt.

3. Cæterùm Iſidorus Gilartius, vir magnæ in Regem fidei, quem ſuperiùs memoravimus, tot patriæ malorum miſertus, quanquam ſenio penè confectus, Sacerdotalibus infulis ornatus, ad Aurelianenſem in caſtra venit, ut patriæ ruinam vulgi inſania impendentem deprecaretur. Poſt paulò tres qui fuerant reliqui ex Seviratu, Gamirius, Monſorivius, & Francus (nam tum temporis Montes, quo Auſtriacarum nemo partium flagrantior, morbo ex ægritudine animi contracto, animam agebat; & Eſquerdus ejuſdem factionis immodicus fautor in Cathaloniam pridiè fugerat) ad caſtra perveniunt, ejuſque Principis ad pedes abjecti, veniam, pacemque orant. Qui omnes benignè accepti ſunt, ac bona

ſpe

Digitized by Google

ſpe confirmati, *fore vitam, fortunaſque omnium incolumes.* Læto igitur accepto reſponſo, ad Urbem redeunt, quam cuſtodiis opificum defendi à ſeditioſis hominibus ubi vident, & quàm plures ſacratos viros optimis monitis paſſim ſedare vulgi animos, indultum omnibus, Regis clementia, per publicos præcones pronunciari jubent. Quod cum accepiſſent contra timorem animorum, qui anteà profunda omnia confundendi cupiditate flagrabant, in iræ locum ſuccedente æſtimatione, ad meliora converſi, alius alium hortari, *ut domi ſe continerent: placere quemquam regnare, non eſſe arbitrii, & poteſtatis hominum ſuæ ſortis, quorum operoſa eſt vita, imperium adjudicare: ſatis eſſe ſuis operibus adeſſe: familiæ curam agitare: ac ſuis quemque rebus conſulere:* & hoc modo paulatim jactantia, ſuperbiaque poſt fuere. Fuerunt tamen qui cum à primoribus opificum è muro, ac propugnaculis deſcendere juberentur, adeò impotenter id tulerunt, ut, cum non liceret propriam vitam offerre in pretium mortis alienæ, potius duxerint arma, tanquam inutilia, nec ampliùs profutura, infringere pinnis impacta, quàm ſemel arrepta abſque conatu aliquo deponere. Denique rebus compoſitis VIII. Idus Maii anni MDCCVII. redditur Urbs Regi, cum ingenti bonorum omnium lætitia, qui tanquam è tenebris, ac ſquallore ſepulchri redivivi videbantur. Ad Templa Divorum multi, populi inſanientis metu perculſi, confugerant; pars domi ſe continebant armati, ut, ſi quid gravius in eos multitudo, uti fremebunda minitabatur, conſuleret, haud inulti caderent. Et quidem nemo per eos dies abſque telo incedebat; Auſtriaci vim illaturi, propulſaturi Regii, ſeque invicem infenſi ſervabant. Igitur eodem die, validum Hiſpanorum præſidium à Berwickio miſſum (nam Aurelianenſis, Urbe in fidem

recepta, recurrerat ad copias, quas in Aragoniæ confinio reliquerat) Valentiam inducitur, quod mox fora, munitaque loca occupat. Fiunt publicè ſupplicationes ad pulvinaria Divorum, quibus interfuit Berwickius in mirificam pietatem compoſitus: quibus peractis, ad portam maritimam ſe contulit, & munitione in eo loco, perſpecta ejus opportunitate, deſignata, ad obſidendam Urbem, & multitudinem in officio continendam, Cathaloniam verſus cum reliquis copiis profectus fuit. Erant in ea porta munimenta quædam, jam ab anno MDXLIII. contra Barbarorum vim, claſſibus tum Hiſpaniæ littora infeſtantium, erecta, in quibus tormenta, & armorum genus omne condita Magiſtratus habebat. Hæc igitur munimenta cœpta ſunt ſtatim, additis aliis operibus, ac depreſſa directis lateribus foſſa, per circuitum pedes quinos denos lata, ædificiiſque circum eam demolitis, in arcem tetragonam reformari, tormentis, reliquoque militari inſtrumento, ac firmiſſimo præſidio communiri. Ad Urbis autem adminiſtrationem relinquitur Antonius à Valle, Belgio-Hiſpanus, cujus viri animum novimus, ad æquitatem propenſiſſimum, ac demerendis hominibus natum. Summam tamen rerum in Provincia obtinebat Dasfeltius, legatus Berwickii, cujus facinora paulò poſt commemorabimus.

4. Inter hæc, diverſarum partium flagrantiores, quibus ex factorum conſcientia gravis metus incubuerat, ex foro, & oculis publicis deceſſerant. Aliqui adeò tulerunt impotentiùs fortunæ volubilem viciſſitudinem, ut, collecta ex ægritudine infirmitate, deceſſerint. Et quidem quàm violenter ſe partibus addixerint, vel ex hoc omninò intelligi poteſt, quòd nemo dubios belli eventus quæſierit, aut cuiquam fuerit abblanditus. Imperia tamen ferre

re mitiùs videbantur: nam, mulctæ nomine, Urbi, & Provinciæ L. M. aureorum imperata brevi pernumerantur.

5. Sed ut ad Auſtriacos redeam, Minienſis, Gallovæus, & Corzana, cum iis copiis, quas ſervaverat fuga, nemine ad Urbem relicto, ubi receptam Requenam agnoſcunt, Saguntinorum frumentis, in quorum agris IV. conſtiterant dies, propero agmine Cathaloniam petunt. Minienſis, qui febri correptus decumbebat, lectica vectus agmen ſequebatur, præmiſſis impedimentis. Poſt armatos, ingens multitudo fugientium, cum ſuis liberis, in ſpeciem juſtæ migrationis, longiſſimo agmine, itinera implebant, qui metu Regiorum ſuis ſedibus exciti, ſalutem fugæ potiùs committendam exiſtimabant, (increbruerat enim in vulgus, Auſtriacum, reparatis breviter copiis, Valentiam recuperatum venturum) quàm iratis hoſtibus objectare. Verùm ubi audiunt, *in Urbe per publicos præcones pronunciatam omnis maleficii impunitatem, ac præteritorum amniſtiam, mutata ſententia, demùm reverti occipiunt.* Quo tempore, robur Exercitûs, qui ad Civam tetenderat, Valentia recepta, Cathaloniam verſùs iter maturabat; ne via exciderent, indicta gravior pœna militibus, neve incolas verbo læderent; ſed Galli, ſpreto imperio, diverſi, palanteſque omnia pervadebant: quæcumque adibant loca, rapinis complebant: quæ auferri non poterant data opera, corrumpebant: ædificia incendebant: jurgia & cædes cum incolis ruſticis miſcebant, & quanquam, iis de cauſis, nonnulli fuerant ſuſpendio necati, in id juſtitiæ aſſerendæ Præfecto militari vehementer incumbente, nequaquam deterrebantur, tanquam ad ipſos pertineret læſæ poſcere fidei pœnas. In hos incidit malo ſuo fato multitudo illa, quæ domum, meliori uſa conſilio redibat, quam circumventam veſtibus ſarcinifque ſpoliant,

 liant,

Digitized by Google

liant, conviciiſque onuſtam dimittunt. Saguntinos parum fides in Regem egregia eſſet tutata, niſi præmiſſi equites aditus omnes ſepiſſent, nullumque ſiviſſent gregarium militem intra oppidum penetrare, quod etiam aliis oppidis, quæ in fide erant, ſaluti fuit. Caſtellionem ubi perveniunt, graviter, quòd oppidanos in armis offenderant, mulctant, ac vexant modis omnibus. Inde bipartitò movent: pars per mediterraneum, reliqui per maritimum ad Hiberum ire contendunt. Auſtriaci autem, parvo prælio facto, cum antecurſoribus Hiſpanis quos ducebat Franciſcus Cabriada, equitum Reginæ ſecundarius Præfectus, qui, ob locorum hominumque notitiam, adjunxerat Joachimum Armengolium, Equitem à Sagunto, qui ſecundùm motum Valentinum Regi militabat, Dertoſam trans flumen compulſi ſunt. Ibi Berwickius relicta copiarum parte, quibus è regione Urbis Dertoſæ, interfluente Hibero, obſidentibus, hoſtis quodam modo clauſus teneretur, cum reliqua manu ad Aurelianenſem ire perrexit, cujus auſpiciis, ductiſque, Aragonia univerſa ad obſequium Philippi redierat. Quibus junctis copiis, haud multò poſt Iterda, arx munitiſſima in Cathaloniæ confinio ad occidentem, quam Cinca fluvius alluit, vehementiſſimè oppugnata, & brevi capta fuit.

6. Sed ut ad ea, quæ in rem noſtram faciunt, reveniam, Dasfeltius, quem ſuperiùs memoravimus, oppugnatum Sætabim miſſum cum IX. hominum millibus, ab Excercitu poſt pugnam ad Almànſam disjunctis, in deditionem ejus regionis acceptis oppidis, eò pervenit, inque agris caſtra poſuit. Præfecerat Auſtriacus Sætabitanis Onuphrium Aſſionem, Valentinum, virum (ſi ita dicere fas eſt de homine adverſùs Regem ſuum militante) probum, & honeſtum, qui à Gallovæo, militiæ gnariſſimo, ad-

admonitus, ut, ſi ſuo officio rectè fungi vellet, victori adventanti obviam iret, ac, *in fidem acciperet Urbem*, oraret, id facere parabat. Quod oppidanis cognitum eum Præfectura dejecit. Nam ad Corzanam litteras dedere Magiſtratus, quibus ſignificabant, *Præfectum ad dedendam Urbem inclinare*, *quam oppidani vel per omnes mortes vellent potiùs defenſam*, *quàm*, *omnibus incolumibus*, *in Gallorum poteſtatem venire*. Quibus non tam ut placeret Corzana, quàm ut hoſtem ſine periculo ſuo moraretur, tutiùſque recedendi cum impedimentis, & famulitio haberet facultatem, moto Aſſione, ejus loco ſuffecit Michaëlem Purrojum Cæſarauguſtanum, qui ſpe hilarioris militiæ apud Inſubres, ubi Regi militabat, ad Auſtriacas partes transfugerat. Hic Sætabim ingreſſus, tres ante dies, quàm ad eam regionem Dasfeltius cum copiis perveniſſet, ingenti populi gratulatione, tanquam Divorum munus aliquod, ſalutem omnibus allaturum, excipitur. Et quidem ea eſt mortalium imbecillitas mentium, ut meliorem ſemper ſuam fortunam ſperent, ſuoſque conatus feliciores ſucceſſus habituros arbitrentur, ſed quàm ſæpe ſemel arrideat fortuna imprudentibus, incautoſque, mutata fronte, decipiat, rimantem paulò curioſiùs ejus ludibria, docent innumera hoc tempore miſeriarum exempla. Cæterùm ubi locum tenuit Purrojus, loca aliqua tumultuariis munitionibus firmavit, coactis ad opus faciendum ſacratis viris, ex omnibus ordinibus, quos etiam armari, & militarem præſtare operam juſſit: id detrectantibus, flagra, & mortem ſæpè intentans per publicos præcones; quorum nonnullos in ergaſtula, & in Urbe, & in Arce conjecit, quòd ab eo diſſentire, vel dicto minùs eſſe audientes videbantur. In concione denique hortatur plebem ad patriæ defenſionem: memorat, *quam contraxiſſent noxam à Philippo deficientes*, *eamque ſine*

ſanguine haud fore ut luerent, quantùmlibet honeſtè paciſcantur. Gallos porrò eò minùs pactis conventis ſtaturos, quò ampliora polliceantur: quin nec pacto in fidem recipi militari ritu ſperent vectigales, ſervitio addiſcendi, modiſque omnibus excruciandi, ſed victorum arbitrio, ſævitiæque omninò permittendi: præſtare ergò, viros fortes adverſis vulneribus graviter occumbere, quàm pecorum ritu inermes victoſque jugulari: ſe nullo loco eis defuturum, ac ſperare, ſe Duce, eadem virtutis documenta eos in præſentia edituros, ac ſuperiore anno ſub Baſeto, cum hoſtes obſidionem ſolvere, ac turpiter diſcedere coëgerunt. His dictis feroces hominum animos vehementiùs extulit, ardentiaque in Regios odia acriùs accendit: duxitque falſa ſpe contra victorem Exercitum oppidum defendendi, nulla ſalutis publicæ habita ratione. Erant in Urbe præter oppidanorum ingens latronum numerus, collecti ex montanis maritimis ad Dianium, qui in eam ſe Urbem conjecerant, ut Regios Provinciæ aditu prohiberent. Arcem prætereà Britannorum præſidium tenebat: ad quam rerum neceſſariarum ad defenſionem maligna copia erat inſtituta. Igitur Porrojus cum oppidanis, & latronibus, quorum voluntatibus potiùs, & multitudine, quàm armis, & militari peritia confidebat, Urbem ſuſcepit defendendam, cui rei egregiè ſeſe paraverant. Nam perduxerant foſſas viis transverſas, quas maximis defixis trabibus, atque eis præacutis præſepſerant. Tota penè Urbe viæ, plateæque portæ, ejuſmodi acuminatis, ac præacutis trabibus compactis videbantur. Ædes quàm plures, ac Divorum Templa, parietibus perfoſſis, & cubitalibus ferè cavis relictis, munierant, armatorum adjecto præſidio, qui per ea cava ſclopis ex occulto, tutoque hoſtem peterent ſubeuntem. Adeò ſe pertinaciſſimè defenſioni inſtruxerant, munimentis vicatim hoſti objectis, ut in illis oppugnandis,

ac

Digitized by Google

ac perrumpendis, vel Regiorum vires non ſufficerent, vel deficerent.

7. Dasfelulus autem cum Civitatem, miſſo ſæpè cum mandatis tubicine, ratione reconciliare non poſſe videret, caſtris ante illam poſitis, molliri tellurem, ducere ad mœnia aggeres, tormentiſque minutis murum verberare inſtituit, inter duas turres, ad eam partem, quæ ad occidentem vergit. Procedebat parum quaſſatio, ob miſſilium levitatem. Ergò ne fruſtra tempus inſumere videretur, dum arceſſit graviora tormenta, ſacellum, quod erat in tumulo, quem vocant Calvaria, Urbi ad orientem ſolem imminentem, jubet invadere, eo conſilio, ut ſi loco potiretur, faciliùs tanquàm è ſuperiore parte, Urbem altrinſecùs oppugnaret. Sed licet milites, dató ſigno, ſtrenuè clivum ſubire, ac ſacello hoſtem deturbare ſumma vi contenderint, ab oppidanis, qui in ſtatione erant, depulſi ſunt, ordinum ductore, impigro, ſtrenuoque juvene Valentino, Joanne Martorellio, & militibus XVII. deperditis. Poſtero die, ut ignaviæ labem, qua ſe pridiè impiaſſe videbantur, omninò eluerent, locum rurſùs aggrediuntur. Cadunt nonnulli ex promtiſſimis; tamen mutua adhortatione firmati, ad Sacelli fores perveniunt, quas è naphtha igne injecto dum incendere contendunt, ea glandium procella impetuntur, ut, infecta re, vulneribuſque adfecti, terga verterint. Intereà Viliena graviora tormenta advecta murum acriùs quaſſant, & pilæ lapideæ, quas in Monteſiana Arce excavatas diximus, pulvere nitrato refertæ devolvuntur, quo fiebat, ut, cum nihil ſatis tutum eſſet munientibus, ejuſmodi metu fulminum exterriti, ab operibus arcerentur. Quod tamen Regii aſſecuti penitùs non ſunt: nam vincente pertinacia metum, alium murum, congeſta omnis generis ma-

teria, & gleba erexerant rebelles, foſſamque depreſſerant, qua militem ſpe dejicerent Urbis capiendæ. Idcircò, inſtituto oppugnationis genere damnato, milites, ductis aggeribus, ad turres, quas ſuprà memoravimus, tecti perveniunt, quibus citò perfoſſis, dum oppidani poſt murum hærent, ad earum culmen ſilentio evadunt. Nec mora, tormentis in loco ſuperiore collocatis, ac ſcitè contra propugnatores directis, ferreas pilas in eos contorquent, quo repentino malo perterritos, à mœnibus, ac propugnaculis abigunt. Reliqua tormenta in ipſis muri ruinis diſponunt, ac viam ſibi aperiunt per alterum recens emunitum: foſſam complent obvia materia, lapidibus, & corporibus exanimis: & quidquid erat obvium victoriæ morandæ, dejiciunt. Ædes nonnullas inter hæc perfodiunt: indeque in repugnantes eminùs graſſantur, qui mox intra Divorum Templa conjecti perſtrenuè reſiſtebant. Quapropter Regii Urbem, inſtructa acie, & tormentis in fronte collocatis ingreſſi, tripartitò diſcurrunt. Nam rebelles, alii ad Franciſcanorum: pars ad Divæ Theclæ, reliqui ad Auguſtinianorum ædes conſtiterant, poſtquam à mœnibus, ac propugnaculis fuerant dejecti. In tanto rerum diſcrimine, eorum vicem miſeratus, mittit Dasfeltius Caduceatorem (quod jam ſæpiùs incaſſum fecerat ab inſtituta oppugnatione) *ut vellent deditionem facere, rebus propè deperditis, præteritorum amniſtiam, & rerum omnium impunitatem pollicens.* Tres item litterarum dedit faſciculos, quorum alterum ad Purrojum, ad Magiſtratum alterum, tertium inter confertam multitudinem, tanquam negligentia elapſam, abjiceret. Quibus omnibus necquicquam perſuadet ſuo malo obſtinatis. Imò ne quis de dedenda Urbe in poſterum faciat mentionem, per præcones edixit Purrojus,

Digitized by Google

rojus, *Qui ſecùs faxit, capitis ſupplicio mulctetur.* Nec ea in verba tantùm abiere, ſiquidem duos è plebe honeſtos viros, quòd ad Borbonium nomen inclinare ferebantur, patriæque impendentem ruinam dolere, ſuſpendio necari juſſit, Petrum Mollanum, & Joachimum Periſium. Cæterùm in ſpem irritam Dasfeltius ſuos conatus abire ſentiens, tormenta promovere, & cohortes jubet, ut rebelles ex illis locis ejiceret. Qui ad Franciſcanorum ædes ſe receperant, ubi ſe vident in arcto poſitos, perituroſque, ni maturarent fugam, ad Arcem celeriter evadunt. Pars ad Divæ Theclæ animo obfirmato reſiſtunt. Dum autem producto tormento Templi parietes verberantur, Gallicæ cohortes, quæ alia via ad Auguſtinianas ædes appropinquabant, objectu munimentorum, quæ in viis, ut diximus, extruxerant oppidani, reſtiterant cunctabundè, nec ulteriùs procedere audebant veritæ inſidias. Sed portis à Sacro viro patefactis, ab eodemque Galli admoniti, rebelles fugiſſe ad Ciudadelam (ſic enim appellant retractiorem Urbis angulum, & veteri munitione complexum) promovent gradum, proximam Auguſtinianorum plateam occupaturi. Quam cum inceſſiſſent, obviam habent ad Templi fores Cœnobitas, qui uti Regiarum partium ſtudioſi, nihil hoſtile metuebant. Hoc tempore, ex proximo Ciudadellæ muro rebelles laxant in ſubeuntes ſclopos, & nonnullis vulneratis, ordinum Ductorem conficiunt. Quo facto exacerbati milites, & rati ex proximo Cœnobii ædificio fuiſſe adpetitos, extemplò in eos, qui ad fores verſabantur, & intra ſacram ædem confugerant, ſclopos diſplodunt, proſternuntque X. ex illis Cænobitis, quos innocentia, quæ ſecuritatem parit, domo excierat, unàque LXII. alios imbellis multitudinis, qui loci Religionem pro munimento objecerant. Intereà loci, ad

Digitized by Google

Divæ Theclæ, aſſidua tormenti diſploſione, ingentem hiatum aperuerant. Quapropter loco diffiſi rebelles, nec ſine certa pernicie inibi poſſe conſiſtere putantes, poſtquam diu miſſilibus egerunt, eo relicto ad Ciudadellam pariter confugiunt. Pugnatum ſæpiùs eſt, non tam infenſiſſimis, quàm obſtinatiſſimis animis: tantaque rebelles ira, odioque accenſi, in ultionem ferebantur, ut rabidarum ritu ferarum, nulla ſalutis habita ratione, in hoſtium necem ruerent, ſuamet anima vindictam emturi. In hunc modum Regii, IX. Calendas Junias, altero & vigeſimo, poſtquàm Urbs oppugnari cœpta eſt, die, in ſuam poteſtatem vera vi redegerunt. D. militibus ferè deſideratis, ſauciis compluribus factis. Ex rebellibus ad CCLXX. interiiſſe ferebantur.

8. Ad hæc, quoniam Valentia ad officium redierat in fide ab Aurelianenſi accepta, ex iis copiis, quæ ad eam præſidii cauſa reliquerant, cohortes ſtatim mittuntur Algeciræ obſidendæ, ubi extranei milites, qui duarum fermè cohortium numerum implebant, conſtiterant, præſidiumque agitabant. Occupant agrum cis flumen, ad Divi Bernardi Monaſterium, & neminem oppido exire patiuntur. Quo tempore ex altera ripa, ubi Mahonius, quem illi rei præfecerat Dasfeltius, cum parte copiarum quæ Sætabim expugnaverant, conſederat, tormentis quati cœptæ ſunt turres portam protegentes. In quarum alteram non multis pilis contortis, ejus pars diruitur, ac ſuper impoſitum tormentum, paucique propugnatores ruinis involuti dejiciuntur. Quo damno affecti præſidiarii, deditionem faciunt, ac Mahonio, ſub certis conditionibus parum honeſtis, ſe dedunt, quinto oppugnationis die.

9. Sed Sætabim ut redeam, erit operæ docere, ea nitrati pulveris laboraſſe penuria oppidanos, paucis ante tempeſtatibus quàm ſubigerentur, ut de-

dere

Digitized by Google

dere ſe, neceſſaria re coacti, conſtituerint, niſi brevi ea relevarentur. In his anguſtiis cum verſarentur, adfuit opportunè, etſi fatali auxilio, Joſephus Marcus, dictus vulgò patibularius, latronum caput, & ſicarius notiſſimus, cum CD. ſociis ex regione maritima ad Dianium, & jumentis XX. illis rebus onuſtis, quarum indigebant maximè obſeſſi. Qui Marcus, ob imprudentiam, negligentiamque Regiorum, cum omnibus ſuis, commeatuque in Urbem nocte irrepſit. Quibus copiis tametſi exiguis populus adjutus, qui fama plerùmque paſcitur, ingentes ſuſtulit animos. Tum magnificis Purroji verbis ductus, deditionem ad aures admittere voluit nunquam, nec priùs repugnare deſiit, quàm tota Urbe vicatim ejectus fuit, ac intra eum Urbis angulum, quem antè memoravimus, compulſus, truſuſque. Dum hæc adminiſtrabantur, Dasfeltius iis copiis accitis, quæ Algeciram expugnaverant, Arcem, quam tenebant Britanni, oppugnare inſtituerat, binis tormentis in calvariæ tumulo collocatis, & contra portam directis. Quæ cum per dies duos crebrè diſploſa, aliquam feciſſent labem ruinarum, deditionem, in quam ſatis propendebant præſidiarii, maturarunt. Itaque duodeviginti dierum inducias paciſcuntur, quibus liceret auxilia præſtolari, queis exactis, eam tradere ſunt polliciti. Vulgus autem, cum totos tres dies inter Urbem, & Arcem fuiſſet ſub dio, arbitrio victoris jam antea ſe permiſit, atque ad ſuos penates redierat. Marcus verò cum ſuis latronibus, & oppidanis CC. per decumanam Arcis portam pari felicitate, qua in Urbem penetraverat, effugit. Direptum fuerat in Urbe ſacrum, & profanum, per totum triduum, quàm ſæviſſimè. Mox ad tecta redeuntes oppidanos peſſimè habuerunt milites, & reculis, quas in fuga ſecum abſtulerant, & veſtibus ſpoliarunt. His malis

velut

Digitized by Google

velut quidam ærumnarum cumulus acceſſit tranſmigratio. Nam juſſis in Provincia manere Regis ſtudioſis, reliqua multitudo à qua Urbs colebatur, ſimulque Sacrati viri, cum Gallorum equitum præſidio Caſtellam verſùs acti. Non pauci, imbellis præſertim ſexûs, & ætatis inedia, & labore itineris, animique angore, miſerabili fato, abſumti ſunt. Sacratæ Virgines, honeſtis commeatibus, Valentiam ad Monaſteria deductæ. Demùm Britanni, unàque Purrojus, qui, rebus funditùs perditis, ad Arcem ſe receperat, diebus XVIII. elapſis, Arce exeunt, iiſdem acceptis conditionibus, atque ii, qui Algeciram dederant. In queis prodibant nonnulli Nobiles, qui cum ſuis familiis ſe conjecerant in Arcem, & quòd de eorum incolumitate in tranſactione cautum erat nihil, capti in vinculis mibi retinentur. Quibus perfectis, Urbs cultoribus vacua, XV. Calendas Quinctilis, ex omnibus partibus incenditur, Dasfeltii juſſu, qui, huic rei adminiſtrandæ, præfecerat Joſephum Chaveſium, cohortis Præfectum. Verùm à Dasfeltio impetrare potuit Gilartius, ut Templis ignoſceretur: quibus etſi ignis injectus non fuit, tamen à proximarum flammis inſularum aduſta, nonnulla penè conflagrarunt. Ad LXXX. ædificia reliquerunt inviolata, ex tota illa Urbe florentiſſima, ac frequentiſſima, ob fidem, meritaque Dominorum in Regem. Ager lætiſſimus, cum reliquis rebellium facultatibus, Fiſco addictus eſt.

10. Intereà dum hæc peragebantur, Berwickius, qui ad Dertoſam præceſſerat, earum partem copiarum, quas Dasfeltio tradiderat, jubet cum Zabadia Legato, natione Gallo, per Saguntum Turulim proficiſci, tum ut Turulenſes (ſic fama tenuit) qui recuperata Aragonia, animos rebelles nondùm ſubmittebant, metu copiarum frangerentur; tum, (& hoc quidem verum arbitror) quòd XI. tormenta

ta

ta, mularibus ad Iſerdam uſque trahendis, expeditius viſum eſt iter. Cum reliquis verò copiis, & totidem tormentis, Dasfeltius Dianium ſatis intempeſtivè oppugnare inſtituit. Nam præterquam quòd inſtrumento poliorcetico parùm erat inſtructus, adeò ſunt æſtatis ſoles in ea regione perurentes, & aquæ inſalubres, ut non obſeſſis perniciem, ſed ſuo velle militi creare videretur. Oppugnatur Urbs, ægrè perquàm reſiſtentibus præſidiariis, & civibus, tanquam pro aris, & focis, cui rei optimè erant parati, & maximè à tormentorum copia. Præfectus erat Didacus Rejonius, Murcienſis, qui, uti transfuga, extrema omnia in loci defenſione experiri ſtatuerat. Igitur quà tormenta duobus locis muri partem disjecerant, Dasfeltius ſatis imprudenter militem invadere jubet, nullo munimentorum explorato periculo, quæ inter muri ruinas, & Urbis tecta duxerant obſeſſi. Concurrunt milites ad irrumpendum; ſed in ipſo aditu pars ex proximis, munimentis adpetiti, miſſilibus cadunt: alii intra foſſas in pomerio depreſſas, à ſociis admittentibus truſi præcipitantur: reliqui jactis in hoſtem paucis globis nitratis, quos habebant, territi ea ſpecie ferunt retrò pedem. Interim morbi ex cœli, & aquarum malignitate, totis caſtris vulgantur: ac prætereà circùm regionem latrones, & agreſtes armati adeò compleverant, ut ne pabulatum, aquatumve, milites loca adire, niſi cum firmiſſimo præſidio quirent. Quî fiebat, ut extenuatæ copiolæ, ad omnia tuenda, & obeunda diſtentæ, ſufficerent minùs Urbi oppugnandæ. His ergò incommodis affectus Gallus, paucis latronibus captis, & ſuſpendio necatis, obſidionem ſolvit, ac circum Dianium, in vicis, partem reliquit copiarum, cum Mahonio, ut hoſtes incluſos quodam modo teneret, reliquos per interiora oppida, pagoſque diſtributis.

11. Va-

Digitized by Google

11. Valentiæ autem, per id temporis, juſſi ſunt Cives arma tradere, graviore pœna indicta. Quod adeò tulerunt violentiſſimè, ut, paucis exhibitis, multa corruperint, plura ad incertum belli occultarint. Verùm Dasfeltius, poſt rem ad Dianium fœdè geſtam, Valentiam reveniens, ædes ſcrutari jubet: cumque in Librarii domo ſclopus breviculus reperiretur, hominem arripiunt è veſtigio, ac ſuſpendio necant. Quo facto territi Valentini, alioquin exacerbati, ea nocte arma, quæ locis condiderant occultiſſimis, perfracta, luxatave in vias projiciunt. Indicitur rurſus per præcones, ut arma tradant: nulli ea adhuc retinuiſſe, fraudi, damnove fore. Quibus erutis, traditiſque, eorum fit omninò poteſtas Nobilibus, & qui à Regis partibus ſteterant plebeiis hominibus, ut centuriati patriæ adeſſent, ſi uſus veniret, in Philippi fide defendendæ.

12. Per eos ipſos dies, portentoſum cœpit graſſari malum, & quod inſolitum, hominum mentes, rei novitate ſuſpenſas, in ſtuporem mox verterat. Nam ut ineluctabili clade cuncta vaſtari pertimeſcebant (ut ſæpe finis alterius mali gradus eſt futuri) ſic attonitis ſimiles, quid ea daret pernicies, anxiè ſpectabant. Rubentes enim, & raræ primùm locuſtæ, dira ſatorum peſtis, à Caſtella in Provinciam volitare: deinde ſtupendis agminibus, veluti denſa nube, diem obtendere conſpectæ, omnia fœdo occurſu complebant. Queis tanta erodendi rabies inerat, ut, quidquid ubique obvium, ociſſimè depaſcerent. Hinc nova formidinis cauſa, nam iis in littore jacentibus, aëra corrumpi ſolitum, ex veterum monumentis, indeque morbos vulgari, dictitabant. Cæterùm in illis extinguendis, ingens cura, laborque Agricultorum fuit. Nam cum ineunte vere fœtus edidiſſent, in unum locum congeſtas igne cremabant. Sed abſque ope divina, eam peſtem, omni calamitate

ma-

majorem, aboleri poſſe haud creditum; quod factum eſt, nam brevi cum omnium admiratione diſparuit omninò, cum ea eſſet vis, ut ſolum paſſim nigricaret.

13. Hac tempeſtate, latrones diverſis in locis itinera obſidebant, Urbemque magno incommodo afficiebant, commeatibus interceptis. Siquidem ſeditioſi quique, obæratique, præſertim Ruſtici, qui nullam deteriorem pertimeſcebant conditionem, ac ſcelerum conſcientia agitati, prædandi libidine illecti, ſumtis armis, diverſi abierant latrocinatum, quò fortiùs animi impetus rapuerat. Quibus perſequendis miſſa aliqua manus, non paucos, fractis laqueo cervicibus, interemit, & corpora ex arboribus temerè pendentia reliquit, ut eo ſpectaculo reliquis terrorem incuteret. Itaque nequam illi homines, ad aſpera, & ſaltuoſa loca confugerunt, ut loci ingenio faciliùs ſe tuerentur, ſi quid in excurſionibus durius accideret. Eſt in Provincia mons aſperitate nobilis, Spadanus dictus, ad quem Purrojus, è cuſtodia militari ad Cathaloniam ſe proſequente elapſus, cum Luſitanis, aliiſque extraneis militibus ſeſe receperat, confiſus incolarum voluntatibus. Confugerat etiam ad ea loca paulò ante Apoſtata quidam Franciſcanorum ſodalitii, natione Italus, qui bonam latronum manum coactam, ſibi obnoxiam fecerat. Hi omnes oppida, quæ ad Regis obſequium redierant, aſſiduè infeſtabant, convectiones perturbabant: & quidem eorum inſidiis multi commeatus interibant. Nam uti ſcientes locorum, imprudentes, ignaroſque convectores Caſtellanos inſidiis excipiebant, armatorum præſidia miſſilibus fugabant, perque notos, ac compendioſos tramites, ad ſaltuoſa locorum, tutioraque, cum præda ſe recipiebant. Igitur huic peſti occurrere volens Dasfeltius, Provinciam implet imperiorum. Oppida, quæ in ſeditione

Digitized by Google

ne ſuam fidem Regis partibus præſtiterant, armis inſtruit, quibus reliquam ſpoliari juſſerat Provinciam: equites, peditesſque diverſis locis diſponit, quibuſcum juncti oppidani armati, egregiam navabant operam, atque adeò profecerant, ut non niſi locis tutiſſimis conterriti latrones ſe continerent.

14. Inter alia, quæ ſilentio obvolvi digna non duximus, accidit ut Canterus, quem initio motûs memoravimus, Saguntum, poſt pugnam ad Almanſam, cum ſociis reverſus, oppido præficeretur, & cum popularibus armatis, latrones impunè graſſantes à finibus arceret; imprimiſque famoſum illum Apoſtatam, qui ſe è familia Neapoli nobiliſſima Carraffa impudentiſſimè mentiebatur. Hunc igitur ex illis latebris eruturus, ea adiit loca, ubi expectare debebat equitum turmam, quam ductabat Vincentius San-Felicius, Nobilis à Nulis, ut unà latrones circumvenirent. Canterus, quòd ad conſtitutum ſocii non venerant, moræ impatiens, aſpera montium penetrat ſatis imprudenter, & in vicum Ahin XL. Saguntinos temerè inducit; cumque nocte quietè egiſſent, ubi illuxit, inſidiantes latrones in vicum ſclopos diſplodere cœperunt, ut inopinantes terrerent. Repugnant excuſſo ſomno obſeſſi, quibus res erat pro vita, hoſtemque amoliuntur. Pugnatur tamen eminùs pertinaciter, uſque ad meridiem; ſed cum jam in tubis corneis, & laguncùlis deficeret pyrius pulvis, Curio loci ad colloquium egreſſus, cum illis, de Sanguntinorum deditione, incolumitateque, interpoſita ſacramenti fide, tranſegit. Dedunt ſe obſeſſi, armaque latronibus, uti cautum erat, tradunt, & ſic inermes liberè abire ſinunt, nihil, præter ſpem, fidem fallentes, quod monſtri ſimile creditum eſt. Victi Sanguntini, ſubjugatique, domum reverſi, atrociter perquàm ferebant rei indignitatem: illamque tantam contumeliam nullatenùs

tenùs pati poterant. Sed brevi res illis obtigit ex ſententia. Nam juſſi rurſùs arma capere cum iis qui à Puzolio, Almenara, & Nulis convenerant, in quatuor centurias diſtributi, cum Rahalio, qui C. equites ex Pozoblanchi ala ducebat, ad hoſtes ire contendunt. Mox confragoſa ingreſſi loca ad deditionem adigunt rupices indigenas; proripiunt ſeſe latrones, quorum bona pars Sueram exiguum vicum occupant. Accurrunt extempló Saguntini, & latrones inde, quamvis ſtrenuè repugnantes, proturbant, ac vicum incendunt. Sed ubi longiùs progredi parant, in ipſo contumeliæ ulciſcendæ ardore, eorum licentiam Rahalius repreſſit, tuba palantes revocare jubens: expreſſaque incolis aliqua ſumma pro lytro fortunarum, in fidem vicos recepit.

15. Secundùm hanc rem geſtam, Villarmoſam oppidum, in ipſo penè confinio Provinciæ poſitum, ad Aragoniam pertinente, proficiſcuntur. Cujus incolæ, Auſtriacis partibus uti pertinaciſſimè addicti, ad Regium obſequium redire detrectabant. Idcircò eò confugerant præter latronum greges, & cum extraneo milite Purrojum, Luſitanorum manus, qui ad Almanſam elapſi fuga, diverſa Provinciæ latibula petierant, undè emerſi gravari cœperant, omniaque infeſta reddebant. Cumque loca non propinqua modò latrociniis, ac tumultibus complerent, ſed, & pauló remotiora, ut imperata facerent, truculentis imperiis territarent, eorum ut coërcerent audaciam, eòdem convenire condicunt Nicolaus Antonius Caracciolus, Turrecuſæ Marchio, ex altera parte, cum ſua Vaſconum cohorte, qui Turuli conſtiterat, ut eam gentem in officio contineret: ex altera Rahalius cum ſuis copiolis, accitis in auxilium VIII. globariorum vexillis, qui Caſtellione præſidio erant. Turrecuſa igitur cum prior ad Villarmoſam perveniſſet, non ſpectata conſtituta ſociorum manu,

Digitized by Google

qui ex itinere capto vico Eſpadilla à latronibus occupato, incenſoque, temporiùs accedere non potuerant, oppidum invadit, ac productis bipennibus, inſigni alacritate portarum fores Vaſcones perfodiunt. Quod dum adminiſtratur, hoſtes, laxatis per rimas ſclopis, milites conficiunt duos. Qua re exacerbati Vaſcones, acriùs inſtant operi, foribuſque corruptis, irrumpunt. Sed impetum eorum veriti, per averſam portam, inter abruptiſſimas cautes cum oppidanis, & milite, latrones celeri fuga ſe ſubducunt. Quod certè minùs eis licuiſſet, ſi juxta condictum, à reliquis copiis oppidum fuiſſet circumventum. At Vaſcones oppidum omninò deſertum ſæviſſimè diripiunt, ſubjectiſque facibus incendunt.

16. Interim illa hominum colluvies par pari Regiis referre ſtudens, Benaſalium, oppidum erga Regem fideliſſimum, contendit. Oppidani de hoſtium adventu certiores facti, Rahalium oratum mittunt, qui eo tempore cum Turrecuſa ſe conjunxerat, ut afflictis eorum rebus velit ſuccurrere. Qui dum eò proficiſcitur, hoſtes, ejus oppidi portas igni corrumpunt, atque invadunt. Ab oppidanis ſtrenuè aditu prohibentur, quibus res erat pro aris, & focis; impetu tamen facto, ſubmotiſque, qui in via aciem inſtruxerant, propugnatoribus, portam transgreſſi, viam occupant. Sed ea glandium procella, ac miſſilium omnis generis ex ædificiis, & occultis locis compluuntur, ut progredi ulteriùs nequaquam auderent. Pugnant tamen atrociter, cepiſſe jam ſe oppidum, ſi paululùm adnitantur, credentse. Repugnant oppidani incredibili fortitudine, quam augebat ipſa ſpei deſperatio: ac denique hoſtem, fruſtra omnia conatum, extra mœnia pellunt, ac malè habitum XII. ſtratis, oppido excludunt. Oppidani paucis vulneratis, mulierem unam deſiderarunt, quæ glande trajecta periit. Purrojus autem videns

graſ-

graſſandi, latrocinandique locum ampliùs non eſſe, abſque certa pernicie, cum ſociis Morellam ſe recepit, nec poſteà viſus conſiſtere in apertum uſquam eſt. Villarmoſæ verò oppidani, ſerò ſapientes, qui orent Ductores mittunt, ut in fidem velint eos recipere: fidelem operam de cætero Regi præſtituros ſe polliciti, nullumque intra oppidum recipi latronem paſſuros, ne in finem quidem inferre pedem. Quibus data venia, in oppidum incendio penè hauſtum redire licuit, ſicque, tranquillatis rebus, ad ſua quiſque reverſus eſt.

17. At trans Sucronem, antè dies aliquot, Joſephus Chaveſius, peracta ultione Sætabitana, quæ Regio imperio ſubjici negabant, in ea regione montana oppida expugnaturus profectus fuerat. Et primùm collectis copiolis, quæ in agro Sætabitano ſtativa habebant, Bocairentium obſedit paucis præſidiariis Cathalanis, & incolis defenſum. Quibus, brevi deditione facta, cum armis exire licuit, & Cathaloniam uſque cum præſidio equitum aguntur incolumes, oppidanis in fidem receptis.

18. Indè caſtra movens, Alcodium, oppidum natura loci munitiſſimum, & incolarum frequentia ſatis amplum, obſidere inſtituit. Nam præterquàm quòd Auſtriacis partibus oppidani egregiè favebant, erant extranei milites præſidio relicti, quibus ſe conjunxerat perditorum hominum multitudo, qui Cocentainam, & proximas valles, quæ Regi parebant, frequentibus excurſionibus excercebant, & omni maleficio infeſtabant. Ergò imminere ſibi videntes periculum, & ſcelerum pœnas non fore ut facilè effugerent, addito facinore, eo ſe diſcrimine expediunt. Simulant ſe animos deſpondiſſe, deditionemque velle facere, ni, intra dierum aliquot ſpatium, auxilii ſpes affulſiſſet. Chaveſius verò cum pactis ſacramento induciis, nihil hoſtile metuens, ad

Digitized by Google

oppidum paucis comitantibus iaſſet, Britannorum auxilio repentè adjuti rebelles ab Alonenſi Præfecto, violatis induciis, hominem comprehendunt, inque Alonenſem Arcem, tanquam jure belli captum detrudunt. Quorum perfidiam Aurelianenſis, capta Iſerda, pulchrè vindicavit. Nam ex illius Arcis præſidiariis Bilchſium quemdam Auſtriaci legatum, retineri juſſum, militari cuſtodiæ tradidit, donec ſibi Chaveſium, dolo malo captum, redderent. Quod non multò poſt factum eſt. Cæterùm erepto, uti diximus, Ductore, milites, qui Alcodium obſidebant, convaſatis rebus, & retracto omni inſtrumento, obſidionem ſolvunt, ac per vicina oppida diſtributi, hoſtes latiùs vagari prohibebant.

19. Haud multis poſt tempeſtatibus, ad Dianium facinus fit memorabile. Cum enim ejus Urbis præſidium agri uſu, occupantibus circum Regiis regionem, penitùs excluderetur, & mœnibus magno incommodo contineretur, ut ea ſe moleſtia liberarent, irruptionem ſilenter faciunt latrones, & nonnulli milites, ac Pegum proximum oppidum, ubi erat exiguus Regiorum numerus, ex improviſo invadunt. Milites, qui in ſuburbio imprudentes verſabantur, intra oppidum properè ſe conjiciunt, arreptiſque armis, ſtrenuè repugnant. Quibus laborantibus præſtò fuere, audito armorum ſtrepitu, qui in vicinis pagis excubabant: à quibus circumventi hoſtes, ægerrimè ſe tuebantur in ædificiis ſuburbanis. Undè vera vi deturbati, multis amiſſis ſociis, in fugam ſe conjecerunt. Queis verò id facere non licuit, incenſa domo, in quam confugerant, miſerè inter flammas perierunt ambuſti. Appropinquabant ſub id tempus, quo hæc fiebant, Britannorum aliquot manipuli, ſuppetias commilitonibus laturi, à Dianienſi Præfecto miſſi; ſed cognita eorum clade, nihil temerè auſi, cauto potiùs, quàm nobili conſi-

lio

lio, pedem retrò tulere, inque Dianium rurſus ſe condiderunt. Aliquis latronum numerus, à militibus, qui palantes venatorum inſtar inſectabantur, captus eſt. Siquidem ubi aliquò conveniſſe audiebant, eò accurrentes facilè in fugam vertebant. Multos nulla miſericordia commoti, precarium ſpiritum orantes paſſis manibus peremerunt: multò plures ſuſpenſos temerè ex arboribus, ut aliis eſſent exemplo, alitibus laniendos reliquere: ac demùm per eam regionem tale genus hominum conſiſtere minimè patiebantur. Quapropter poſitis armis, ſe ultrò dedentibus, pleriſque data etiam fide, eam non ampliùs fore ut retractarent, domum liberè redire permittitur. Bona tamen pars in ea oppida, quæ, præſidiis firmata, ab Auſtriaci partibus ſtabant, per nota diverticula furtivè ſe recipere, majori mole arma in Regios opportuniori tempore laturi.

20. Subactis ad hunc modum, trans Sucronem, rebellium Ruſticorum viribus, non animis, Dasfeltius eam Provinciæ partem, ad Ilercavones vergentem, fortiſſimis caſtris muniri inſtituit, poſitis in locis ad meridionalem Idubedæ ripam adjacentibus, juxta Almazoram, ut objectu fluminis ſatis alti, & emuniti aggeris, ab hoſticis incurſionibus tuta redderetur Provincia, adjecto paucorum militum præſidio. Hujusmodi igitur caſtrorum beneficio fiebat, ut, junctis viribus, faciliùs ad deditionem cogerentur, quæ adhuc in Conteſtanis ab Auſtriaci partibus ſtabant, oppida. Quòd ſi diſtinendæ eſſent copiæ, nequaquam fore, ut ſufficerent tot hoſtibus, in locis adeò diſſitis, ob Provinciæ longitudinem occurſuræ. Itaque dum in remotiore ejus parte res gerebantur, ex altera, exigua manus hoſtem acerbat. Cæterùm convenire juſſit ab uſque Aragonia operis, & foſſoribus, à maris littore exorſi ſunt foſſam deprimere latiſſimam, aggeremque tormentorum ictibus im-

pervium, ceſſa paſſim materia, & cæſpite extruere, uſque ad montium radices totam illam planitiem interſecantes. Militari dumtaxat viæ aditum relinquunt ad Villamregalem, ponte plicatili ſuper foſſam dejecto, portis clauſum, atque munitum. Præterea in ipſo aggere infixi horrebant valli in obvium hoſtem prætentis, inclinatiſque cuſpidibus, ſpiſſi adeò, ut penè ſe contingerent, quibus totum opus aſperaverant, ac inſuper Caſtellis per intervalla munierant. Nec intereà quæ ad pacis artes, & reipublicæ adminiſtrationem pertinebant, irruente irarum Regis procella, minùs jactabantur. Siquidem Regio decreto mutata fuerat, in ſubleſtæ fidei vindictam, forma non totius modò Civitatis, verùm & univerſæ Provinciæ. Abolitum Jus Municipale, & Caſtellanorum dici cœptum: omniaque ejus gentis more ſimiliter adminiſtrari, tum per Valentinos homines, tum etiam per Caſtellanos. Regio item nutu Seviri publicæ rei adminiſtrandæ, quod anteà ſortitione fiebat, creati ſunt: quibus poſt aliquot menſes abrogatis, Rectores cum Correctore (ſolemne id Magiſtratûs genus regendis Caſtellæ Civitatibus) inſtituuntur, & in ipſa Civitate, & reliqua Provincia; ac demùm oppreſſa priſca Valentinorum libertate, deque avita immunitate dejecti, qui anteà in liberæ modum gentis ſua jura tuebantur, communis totius Hiſpaniæ ſortem, fruſtra ingemiſcentes, ſubire coacti ſunt. Et quidem, ut res experimento comprobaretur, inter hæc Ludovicus Blancherius, Sevir, & Joſephus Ortinius, qui Provinciæ Magiſtratui erat à Secretis, ambo Regii fidiſſimi, in exilium miſſi, Pompeïopolis in Arcem compinguntur. Blancherius quòd in Senatu, pro patriæ defenſione, nimis liberè, quàm calamitoſiſſimis temporibus par erat, locutus fuit. Ortinius, quòd libellum ſupplicem Regi porrigendum cudit, in quo, quid à Magiſtratibus Va-

Valentinis fuerat antè tumultum per ſingula ferè dierum tempora factum, cunctaque geſta ad amuſſim Regiorum imperiorum, quaque inſuper fide in Regem per omne tempus fuiſſent, apertè perquàm ac liquidò exponebat, omnem mali invidiam, in vulgi temeritatem, ac Proregis Villagarziæ ſegnitiem ſenſim detorquens. Quibus haud multò poſt, data venia, repatriari licuit, & tunc primùm Valentini ſenſere amiſſæ libertatis ineluctabile malum, & quàm miſeram, luctuoſiſſimamque induiſſent ſervitutem. Undè inter gemitus non ſemel auditum dominationis arcanum fuiſſe, *ne mediocribus quidem remediis occurrendum Provinciæ motibus, ut cum paucorum ambitione, & Ruſticorum ſtoliditate fides mutaretur, ad totam ſervitutem ferendam Valentini merito, tanquam rebelles adigerentur fato in gentes, & invidia aliorum incumbentibus.* His malis accedebat, quòd primos ordines ex iis cohortibus, quæ in Urbe præſidium agitabant (nam vulgi militum alia erat ratio) Civium domibus, qui à Rege alienata erant mente, hoſpitio excipi gratuito, lautèque ali, imperatum fuerat: quodque omnium ægerrimè tolerabant, de iis haberi quæſtiones, qui motum impenſiùs foviſſent, graviùſque deditionem tuliſſent, quos ſubleſtæ fidei damnatos in vincula conjecerunt, quorum parti, data pecunia pro lytro libertatis, domos repetere permittitur. Alios in Africam trajiciunt, atque in Arces detrudunt. Sacratos viros ex omnibus ordinibus ſolum vertere compellunt. Quibus de cauſis Regii Miniſtri vulgi ſermonibus paſſim carpebantur, tanquam Regiam fidem fefelliſſent, quam Aurelianenſis, Regis animi interpres, liberaliter admodùm dederat, in qua de Civium incolumitate abundè fuerat cautum, deque omnis maleficii impunitate. Quæ profectò rerum prudentibus nec nova videbantur, nec mira, quòd non eſſent neſcii, in hùjuſmodi tu-

Digitized by Google

multibus, ſolemne id eſſe vindictæ genus, ubi coërciti ſunt armis belli populorum motus.

21. Nec aliter tota Provincia, & quidem inter jurgia, & maledicta laxatis militaris licentiæ habenis, extorti à milite commeatus gratuiti ſuperbè admodum, & inſolenter. Hoſpitium nullum abſque turba, & rixa, nec à cædibus temperatum, tanquam cuique gregario præteritorum poteſtas eſſet puniendorum. In Ductoribus nihil præſidii miſeris hominibus; imò ſuperbiæ multum, & avaritiæ. Itinerum ſpatia, mutationeſque ſtativorum vicatim venditare; jumenta ſarcinis avehendis temerè imperata, data pecunia, à Magiſtratibus oppidorum redimi. Nec malè acceptis, pulſatiſve queri licebat, gemitumve emittere, abſque inſigniori contumelia, & jactura. Quapropter miris modis exacerbatis animis, alioquin malè in Regem affectis, nihil ad rebellandum denuò præter occaſionem deerat.

22. Intereà autem extremis Autumni temporibus, cum jam Aurelianenſis Ilerdam in hoſtium oculis expugnaſſet, quæ in Dertoſenſi agro conſederant copiæ, eademque opera ſtativa habuerant, & clauſos Dertoſenſes, convulſis ſignis, Aras verſus proficiſcuntur, infando hominum, jumentorumque labore, tormenta trahentes per excelſos montium vertices, & abruptas vallium crepidines, ut ejus oppidi Arcem, quò confugerant latronum greges, oppugnarent. Eſt oppidum in eminentiſſima Provinciæ parte ſitum, haud procul Morellam, omnium maximè aſpera, & confragoſa, in monte, ab ortu, & meridie prærupto, cui impoſita, tanquam ſpecula, ad remotiſſima quæque colluſtranda, Arx munitiſſima, & paucorum militum præſidio invicta. Hanc parva manu Arcem, reliquis copiis Morellam properare juſſis, oppugnare Galli alacriter inſtituunt. Et quanquam oppidum brevi captum, atque incendio

dio deletum, faciliorem reddebat oppugnationem, tamen cum, ob locorum importunitatem, tormentis dirigendis per aliquot dies fruſtra mœnia, & turres verberaſſent, ejus ſpe potiundæ dejecti, collectis ſarcinulis, & reliquo inſtrumento, obſidium ſolvere.

23. Inde Morellam profecti, non minori labore in convehendis eò tormentis adhibito, cum VIII. cohortibus, ac MDL. equitibus, ab Aurelianenſe præmiſſis, ſeſe conjungunt. Quibus omnibus copiis præerat Ductor Gallus, Marchio Diarenes dictus, qui ſtatim perſpecto oppidi ſitu, ad eam partem, quam Podium appellant, conſedit, & in tumulo IV. tormentis aptare juſſis, quaſſare inſtituit eam muri partem, qua oppidum Arci committitur. Et, ut oppugnatores maximè terreret, ex altera oppidi parte, tormento miræ magnitudinis, & mortario in edito loco collocatis, altrinſecùs eamdem muri partem interiorem concutere cœpit. Oppidum autem defendendum, & Arcem, Auſtriaci juſſu ſuſceperat Lucas à Porta, vetus miles Caſtellanus, cum DCC. militibus, & latronibus, exiguo armorum apparatu inſtructus. Aderant unà præter nonnullos ex iis, quos Auſtriacus juri dicundo Valentiæ præfecerat, Nobiles aliquot, cum ſuis familiis, & Cives Valentini medii generis, qui pœnæ formidine terrente eos conſcientia, ac deſperata perduellionis venia, patria exciti, eò, tanquam in locum tutiſſimum, confugerant. Ergò propugnatores, licet numero exiguo, & ancipiti malo premerentur, ſibi nequaquam deerant, ruinam tumultuario opere pertinaciter reparantes, inter crebros utrinque pilarum ictus poſiti, nec ſegniùs ſubeunti hoſti reſiſtentes. Quam hominum arrogantiam ut frangerent Regii, ex IV. illis tormentis bina ſubducunt, atque alia in tumuli parte diſponunt, undè ex obliquo emiſſa pila, repugnan-

Digitized by Google

tium latera, in muri area conſiſtentium, tranſverſis ictibus, abſque pinnarum impedimento feriebant. Qua rei novitate permoti, & multorum ſtrage exterriti, eam muri partem, & ingentem turrim, aſſiduo pilarum incuſſu laceram, caducamque, & cuniculo ſubfoſſam, deſerunt. At Gallus Ductor, ad omnia intentus, ubi videt in mœnibus hoſtes conſiſtere, nequaquam audere, ſcalas expedire, quibus ſtantem muri partem Hiſpani ſuperarent, tum aliquot Gallorum centurias in armis eſſe jubet, ut cum turris eſſet immani vi pulveris latentis evulſa, per ejus ruinas in oppidum irrumperent. Cæterùm ubi omnes ſollicitis animis irrumpendi ſignum expectant, obſeſſi animos deſpondentes, deditionem proponunt, quam facere bona fide pollicentur, niſi intra quintum diem auxilia ſubmittantnr. Quibus exactis, oppidum, Arcemque Regiis tradunt, & in Cathaloniam ad Archiducem proficiſcuntur. Ingens frumenti vis tum in oppido, tum in Arce reperta eſt. Pecoris item magnus numerus. Quibus copiis recreatum, per dies aliquot, militare vulgus, in hiberna conceſſit, relicto ad ejus Arcis cuſtodiam Franciſco Buſtamante, acri viro, ac militiæ gnaro, cum valido Hiſpanorum præſidio.

24. Dasfeltius autem, qui his rebus interfuerat, Valentiam verſùs ad X. equitum, peditumque millia ſecum adduxit, quas copias à Caſtellione ad Alcodium in hibernaculis compoſuit, ac demùm ipſe in Urbem conceſſit. Nec mora, quæ ad Alcodii oppugnationem neceſſaria erant, ipſis brumæ diebus expedire, & comportare juſſit, ac nonnullas cohortes eò proficiſci cum iis copiis, quæ cum Mahonio, poſt Sætabitanum excidium, ad cohibendas Dianienſis præſidii excurſiones, in illis locis conſtiterant. Cui expeditioni idem Mahonius præficitur. Oppidum autem, præter cultores armatos, haud contem-

temnenda manu tenebatur, tum militum, tum promtiſſimorum latronum, ſub Præfecto Caſtellano, qui ad Auſtriacas partes transfugerat, ingenio loci alioquin munitiſſimum. Jacet enim inter Alonem, & Dianium, in mediterraneis, collis ſummitatem occupans præruptiſſimi, inter profundiſſimas, & confragoſas valles. Unus omninò aditus, & quidem difficilis patet ad Franciſcanorum ſuburbium, quem munierat egregiè. Cum enim foſſam depreſſiſſent latiſſimam, tumuloſque intra eam eſſent obmoliti, quorum obtentu ab omni miſſilium genere tuerentur, eos defixis trabibus delibratis, ac præacutis cacuminibus, quæ multum eminebant, pro corona, pinniſque præſepſere. Verùm Regii milites, per difficiles ſemitas horrendas viſu, atque tranſitu aſperas, modò juga montium ſuperando, modò ad ima impeditiſſimarum vallium incompoſiti, inordinatique, cum ingenti periculo, ſi hoſtem inſidiantem habuiſſent, ſeſe demittendo, ad oppidum, itineris labore, & cœli inclementia peſſimè affecti, tandem pervenerunt. Mahonius, æſtimato locorum ſitu, disjunctum paulò ab ipſo ſuburbio Monaſterium, ab incolis deſertum, uti tormentis aptandis opportunum, ſtatim occupat. Quibus brevi diſpoſitis, & contra portam directis, ejus fores diſrumpunt. Sed tanta erat in muniendo præſidio ſolertia, ut, cum nihil ea re factum videretur, traductis aliò tormentis, muri partem diruere inſtituerint. Sed ad invadendum via plena erat alea, quòd nec foſſam repleverant, & ad muri altitudinem, abſque ſcalarum adjumento, nequaquam evadere poterant. Tormenta enim multò ſpe minùs effecerant ſuis incuſſibus, ſtantemque bonam muri partem tranſcendere oportebat. Moræ tamen Mahonius impatiens, hortatus milites, prima face irrumpendi dat ſignum. Quo audito, nihil periculo territi, ſcalas arripiunt, atque in murum

Digitized by Google

rum vadunt. Pugnatur utrinque ſumma contentione, ſed cum ſcalæ ad murum admotæ multò eſſent juſto breviores, irrito conatu ab incœpto deſiſtunt CL. deſideratis ex promtiſſimis, & pluribus vulneratis. Ut autem propugnatorum audaciam, animoſque, eo ſucceſſu additos, frangeret Mahonius, tormenta juſſit in edito loco collocare, non ut recta fronte adverſum murum percuterent, ſed obliquis ictibus traderent muri aream, ac repugnantium in ea conſiſtentium multitudinem abigerent. Sic enim prohibebat, ut ſubeuntem militem poſſent detrudere, cum denuò ad manus veniretur. Hinc aliud malum, quod ad deſperationem ſanè adegit obſeſſos. Joſephus Marcus, quem aliàs memoravimus, Dianio egreſſus, cum latronibus CD. ut ſuppetias laborantibus ferret, & pyrii pulveris copia aliquo modo juvaret, cujus maximè penuria premebantur, in vicina delatus loca, vigilum ſolertiam, cum non quiviſſet eludere ad arma conclamantium ex omnibus partibus, extemplò fugæ ſe dedit, ut militum manus effugeret, qui in eum ſtudioſiſſimè ferebantur. Itaque abjectis pulveris ſacculis, omnes diſpalantur, paucis exceptis, qui plus corporis celeritate, & animi firmitudine valentes, ad oppidum per abrupta ſaxis, & cotibus evaſerunt. Quo facto, Mahonius, miſſo tympaniſta, obſeſſos ab ſtudio repugnandi dehortatur, *quid facturum ſit docens, ne, vana ſpe auxiliorum eluſi, pertinaciæ pœnas acerbiùs luerent. Vellent ad bonam mentem aliquandò redire, ſi ſe clementem cuperent experiri.* His mandatis acceptis, ne mora victi majori eſſet fraudi, eo ipſo die, qui fuit ad V. Idibus Januarii anni MDCCVIII. ſe, oppidumque permittunt arbitrio victoris. Latrones ea nocte, nihil Mahonio credentes, ad unum elapſi ſunt. Præfectus, & quidquid erat præſidii Britannici nominis, & Caſtellani, ſub ſignis ad Almanſam de-

du-

ducuntur, & in cuſtodiam dantur. Oppidani, pro lytro fortunarum, VIII. aureorum millia juſſi ſunt repræſentare. Inde disjunctæ aliquot equitum turmæ, Pennaquilam, oppidum natura loci munitiſſimum, ſtatim occupant, oppidanis ſe ultrò dedentibus.

25. Mahonius, dimiſſis in hiberna militibus, cum valido præſidio, ibi, per aliquot dies, quietè egit, donec à Rege juſſus Siciliam adnavigare cum VIII. cohortibus, relicto Thoma Salgado, viro impigro, & cohortis Palentinæ Præfecto cum firmiſſimo præſidio, ad oppidi cuſtodiam, Valentiam venit, ac mox Carthaginem novam petens, quò jam convenerant cohortes trajiciendæ, navibus profectus eſt.

26. Latrones autem, cum nullum in mediterraneis munitum haberent locum, undique collecti, Dianium petunt, ſeque intra mœnia recipi Præfectum orant, à quo inde abire juſſi, quòd eorum operam ſibi utilem minimè ducebat, Alonem verſùs pars migrant, alii in oppidum maritimum benè munitum, inter Alonem, & Dianium, Jojoſam dictum, ſe recipiunt, & ſic per dies aliquot tanquam armiſtitium fuit.

27. Advenerat inter hæc Berwickius Valentiam, nuper à Rege, ob rem ad Almanſam egregiè geſtam, Principis Liriæ, & Exericæ auctus titulo: rebuſque cum Urbano Magiſtratu, circa inſtantia reipublicæ negotia, compoſitis, munimenta, quæ ad Algeciram excitabantur, luſtratum acceſſit. Inde Sætabim, novæ Urbi condendæ rationem initurus, profectus, brevi Valentiam rediit, ac mox rebus quibuſdam digerendis, Aragoniam, demùm in Galliam, alia belli Munia ad nutum Chriſtianiſſimi obiturus. Verùm Sætabim, Regio decreto reſtitui cæptam, de ſuo nominè Philippopolim appellari voluit. Quod opus moliri

Digitized by Google

moliri veteres cœperunt coloni, eò convenire juſſi, prædiis, domibuſque reſtitutis, modò liquidò conſtaret ad Regias partes inclinaſſe, reliquis, qui in alia omnia propenderant, cum ſuis familiis, miſerrima conditione per Provinciam diſperſis, poſtquam è Caſtella, quò fuerant migrare coacti, in Provinciam redierunt. Horum prædia Fiſco addicta, & poſteà inter eos ex diverſis Nationibus, qui Regi egregiam navarant operam, in præmium facinorum diſpertita fuerunt. Sacra verò, quibus familiarum nomine tenebantur, operari velle negantibus novis poſſeſſoribus cum Myſtis innumerarum litium, & jurgiorum cauſa extitere haud facilè ſedandorum.

28. Vagabantur interim latrones tota impunè Ilercavonia milite vacua, tantaque atrocitate graſſabantur in eos, qui fidem ſuam erga Regem oſtentarant, ut ex omnibus vicis, & oppidis confugere Peninſulam, tanquam in aſylum, vel intra militum hibernacula, cum ſuis familiis cogerentur. Unde oppidum maritimum, Alcanarium dictum, cujus incolæ à Regis partibus ſtabant, penè deſertum, à latronibus hoſtiliter direptum fuit. Ergò Eciavarria, qui ſe Peninſula continebat, ubi inſtitutæ erant ingentes commeatuum apothecæ, omnibus, qui ad ſe confugerant, alimenta ſubminiſtravit ſatis benignè per totam hiemem. Eò enim evaſerat latronum immanitas, ut cum inermes populi injuriam propulſare nequirent, traditis Dasfeltii juſſu armis, facilè malefici illi in oppida etiam frequentiora irrumperent, indeque, quos deſtinarant, nullo prohibente, extrudebant, quorum alios jugulabant, quòd Regis partibus ſtudebant, alios ex arboribus ſuſpendentes, vel injectò laqueo trahentes, non priùs dimittebant, quàm, vel ingenti lytro, pro vitæ incolumitate pacto, ſe redimerent, vel omninò eliſis faucibus ſuffocarentur. Et quidem cum immanem vim pecuniæ pro mit-

mittere, ac ſtatim pernumerare adigerentur, alii prædia vendebant, alii oppignerabant: ſicque ad vivum detonſos abire permittebant. Tenebat in illis partibus principatum Carraffa, de quo aliàs egimus. Hic cum ea loca excurrit aliquandò cum ſociis XXIV. Turralbam ingreſſus eſt, oppidum à Peninſula non multùm diſtans. Quo tempore equites XXV. Hiſpani, cauſa præſidii mutandi, Peninſulam ex hibernaculis profecti, cum propiùs illud oppidum acceſſiſſent, veriti latronum inſidias, rogant anum, quæ ſe illis in itinere fortè fortuna obviam dederat, *eſſent ne in oppido latrones? Eſſe*, cum reſpondiſſet, Carraffam ſcilicet cum ſociis non multis, unicam oppidi portam rapidis equis occupant. Quod à Carrafa animadverſum, arma arripit extemplò, ſociosque parva pila ludentes ciet clamoribus: in quem impetu facto, equitum ductor eum obtruncat. Cadunt alii in fugam converſi, antequàm Templi aram tenerent, in quo, qui equos evaſerant, jugulantur, ſpreta loci religione. Undecim è latibulis erutos, Caſtellionemque adductos, glandium ictibus partim confodiunt, partim ſuſpendio necant. Quo facto ea peſtis nonnihil cohibita fuit, perque aliquod tempus in locis ſilveſtribus ſe tenuere.

29. Iiſdem fermè diebus, montana regionis, ad Dianium, latrones rurſùs occupare occœperant, & cum Guadaleſti Arcem viderent opportuniſſimum eſſe receptaculum, ſi quid in excurſionibus durius paulò accidiſſet, eam aſtu aggreſſi ſunt capere. Imminet oppidulo Arx ſaxo impoſita, difficilem aſcenſum præbens inter aſpera rupium, quam tenebant pauci milites, in excubiis agendis parum diligentes. Idcircò latrones, conſiliis communicatis cum oppidanis ſuis fautoribus, nocturna uſi tempeſtate, ſilentio ad Arcem evadunt, inque ædificium conditi lucem expectant. Milites, cum ſerò rem animadvertiſſent,

tiſſent, ſeque latronibus circumventos, animos deſpondent, ac ſe turpiter, Arcemque latronibus tradunt, quibus diligenter omnia colluſtrantibus, repentè ingens pulveris nitrati modus, concepto igne, vel deſperatione militum adhibito (quod tunc incompertum) immanem fragorem edens, & latrones, & milites pleroſque, cum ædificiis evibratos, miserabili ſtrage abſumſit. Latrones cauſati inſidias, in captivos impetu facto, ferè omnes trucidant, nonnullis felici præcipitio evadentibus. Hac re cognita, Thomas Salgadus, quem Alcodium tenere diximus, cum præſidii parte accelerat, ſed eum latrones nequaquam auſi contra aſpicere, Arce derelicta, ſuga dilabuntur. Ipſe Arce recuperata, præſidioque munita, Alcodium reverſus fuit.

30. Majore certè belli mole poſt hæc, atque aperto marte egregium facinus deſtinarant latrones, nequaquam tot ubique adverſis caſibus fracti animis. Dura ſiquidem hominum ingenia, & à ratione averſa, quamvis deteriorem conditionem pati poterant armati, quàm Regio ſubjici imperio, cujus odio quidquid arduum erat, in proclivi æſtimabant, proindeque nihil intentatum relinquebant. Sed lymphatis ſimiles, quòcumque impellebat furor, inſano impetu ferebantur. Deſtinant igitur Fineſtratium invadere, ut latiùs vagari poſſent, amoto Regiorum metu, qui eos ad anguſtias penè redegerant, & quas acceperant clades, hoſtibus cumulatè reponerent. Situm eſt Fineſtratium, exiguum oppidum, inter Dianium, & Jojoſam, cui Arx, ſtructuræ antiquæ, imminet in montis ſupercilio poſita, ad cujus radices jacet oppidum, loci plùs natura, quàm manu munita. Huic Arci præerat Simon Cabotus, homo Valentinus, & Regi fidiſſimus, cum L. militum præſidio, ex Provinciæ delectu, & oppidanis armatis non multis: cui egregiè fidens Mahonius,

nius ejus cuſtodiam mandarat. Quem locum ſibi oppido infeſtum hoſtes in ſuam poteſtatem redigere ſummoperè cupiebant. Ergò latronum agmen ſub vexillis VI. in conſpectum Arcis dedit ſeſe ad IV. Calendas Maïas, quod præmiſerant ad loca Arci proxima occupanda, caſtriſque metandis. Verùm ut hoſtilem coërcerent audaciam, conatuſque, edito aliquo virtutis ſpecimine eluderent, furentium latronum, ex Arce egreſſi præſidiarii, ac pro oppido directa acie, eam manum tanquam plùs minarum, quàm virium præ ſe ferentem, miſſilibus amoliri conati ſunt. Quod ſanè dum non obtinent, tametſi ſunt per biduum velitati ſatis pertinaciter, advenit Balthaſar Martinus Jojoſæ Præfectus, cum equitibus XXXVI. totidemque peditibus extraneis, & latronum multitudine, ut præcedenti ſe agmini conjungens navaret operam. Qui omnes mutua adhortatione ad virtutem adjecti, propugnantibus inferunt ſigna. Hi hoſtibus haud quaquàm pares in aperto futuros eſſe rati, ne locum in cuſtodiam acceptum inconſulta audacia amitterent, ceſſim ire, relicto oppido, & regredi in Arcem cœperunt. Irrumpunt tandem hoſtes, ac medio fermè diei tempore oppido potiti, in Arcem mortaria IV. collibrant, quæ cum alio inſtrumento belli advexerat Martinus. Exinde interdiu noctuque in Arce per duos ſequentes dies jaculati ſunt. Tertio die ſub exortum ſolis ſignum datur ab hoſtibus: quo reddito ab obſeſſis, tympaniſta Epiſtolam afferens Arcem ſubiit, in qua ſcriptum erat, *ut ſi obſeſſi ſaluti vellent conſultum, Arcem dederent, quod ut facerent, dimidium horæ dabatur omninò ad conſultandum. Sin verò in ſententia confirmati, obſtinatique perſeverarent, advectis extemplò muralibus tormentis, fore ut capta breviter Arce, eamdem fortunam ſubirent, quàm Guadaleſtani præſidiarii, paulò ante ad internecionem cæſi.* Queis Simon

Digitized by Google

reſpondit, *ad multorum dierum defenſionem, & ſibi ſuppetere alimenta, armaque, quibus Arcem in Regis fide conſervare poſſet. Nec adeò ſe vitæ cupidum exiſtimarent, ut non potiùs vellet pro ſacramenti religione, ac Regis fide eam profundere, quàm poſthabitis Divini, & Humani juris rationibus, fœda pactione inhoneſtè producere.* Hoc accepto reſponſo, Martinus acriùs in Arcem fulminare jubet, ut vel ea ſpecie terrerentur obſeſſi, vel, diſſilientibus majorum globorum fragminibus, debilitati ponerent ferociam. Reſpondent obſeſſi aſſidua jactatione globorum nitratorum, mori certi potiùs honeſtè, ut viri fortes ſtrenuique pugnando, quàm ſanguini parcentes, in latronum poteſtatem turpi deditione venire. Et ne quid non moveant Arci conſervandæ, ſub crepuſculum milites duos per funem demiſſos Alcodium ad Salgadum feſtinare jubent, *quo in periculo res ſit*, qui nuncient. In itinere Severinum Sotum, Secundarium Palentinæ Cohortis Præfectum à Salgado miſſum cum CCXXX. equitibus, & peditibus CCC. auxilio obſeſſis properantem offendunt. Quibuſcum reverſi nuncii, hora IV. dant ſignum è mœnibus intentiſſimè intuitu ſpeculantibus omnia circum, quo loco eis Præfectus Arcis indixerat, *adeſſe ſocios* ſignificantes. Quo animadverſo erumpunt obſeſſi, quorum pars cum Marcellino Morantio, Secundario Arcis Præfecto, loca quædam occupant inter Arcem, & oppidum; alii ad portam Arcis excubant; reliqui XXX. cum Præfecto, viro impigro, oppidum ab hoſtibus occupatum invadunt. Qui ſubito terrore perculſi, relicto oppido, referunt in caſtra pedem, nonnullis ſuorum amiſſis. Vix oppido decuſſi, adeſſe Regios, ex fuga equitum ſuorum cognoſcunt, obſeſſis ſuppetias laturos. Ergò ancipiti malo circumventi, arma jactantes, ac nota diverticula petentes, diffugiunt latrones. Verùm milites, etſi non mul-

Digitized by Google

multi, intra ædificium conjecti, gnaviter reſiſtebant victoribus. Ubi verò ſpes illis ampliùs ſe defendendi fruſtra fuit, paucis vulneribus acceptis, victorum deduntur arbitrio. Re perfecta, ſocii in auxilium acciti demùm pervenere: quorum metu perterriti hoſtes, animos deſponderant, ac fugæ ſeſe mandaverant. In hujuſmodi velitationibus Marcellinus Morantius, & miles gregarius deſiderati ſunt, ſaucii tres omninò. Ex hoſtibus XXX. interfecti. Capti Legionarii pedites cum Signifero: Latrones XX. cum *B*althaſare Martino, expeditionis ductore; mortaria quoque ænea capta ſunt, cum omni inſtrumento, impedimentiſque. Sub hæc demolita ſunt à Regiis ædificia, corruptaque nivis copia, ab Alonenſibus aſſervata, haud procul ea loca, ut eis quoquo modo ægrè facerent. Captivi demùm quibuſcum militare commercium intercedebat, in Caſtellam aguntur. Latrones ſuſpendio necantur, & ſic malo coacti inſanire deſtiterunt.

31. Haud minori incommodo Provinciam vexabant prædones, ſtationes omnes, ac littora infeſtantes. Faciebat animos Regiorum negligentia, qui navales copias nullas inſtituerant, maritimæ Provinciæ tuendæ. Unde liberè decurrentes rurſùm prorſùm mare, & amicas, & hoſtiles naves nullò diſcrimine habebant, ſed omnes promiſcuè expilabant, factiſque ſæpiùs exſcenſionibus, terrore, & tumultu implebant impunè omnia. Cum verò ex Gallia, Sardiniaque, onerariæ aliquot appuliſſent, præſtò fuere prædones, in eas plenis ſinibus ruentes. Nautæ cum ingentem frumenti numerum expoſuiſſent, ſævitiam veriti prædonum, laxatis funibus, in littus ad certum naufragium impingunt. At prædones nautarum cognito conſilio, antequàm ſalo hærerent naves, rati noviſſimam fugientium poſſe retinere, in eam curſum intendunt; qua littori illiſa, ipſi

 pa-

Digitized by Google

pariter imprudentes hærent prædones. Mox incumbente Euro validiſſimo, ingens procella exoritur, fluctibuſque vehementiſſimè concuſſa, eorum navis cœpit fatiſcere, pelagoque obruta, tota frangi. Prædones, tribus ſociis fluctibus abſorptis, cum deſperarent inde columes evadere poſſe, in lembum deſilientes, ſtationariis equitibus littora obſidentibus ultrò ſe dedunt. Qui omnes cum Præfecto navis Dertoſenſi, Dasfeltii juſſu Valentiam perducti, in vincula conjiciuntur, quæ non multis poſt tempeſtatibus fruſtrati, ea ærumna liberantur. Tormenta ænea IV. ſanè pulcherrima, in poteſtatem Regiorum venerunt, cum aliqua præda, quam undis cum alia appuliſſet navis frumentaria, eam ex alto conſpicati prædones, aliam ineunt rei gerendæ rationem, malo ſociorum admoniti. Complent ſiquidem ſcapham ſcloppetariis, qui deturbatis, pulſiſque glandium ictibus nautis, citra naufragii periculum, eorum navi potirentur. Verùm nautæ ad pugnam impares, ne in hoſtium poteſtatem frumentum veniret, ſublatis anchoris, paſſiſque, ſimiliter in arenam impingunt, ſeque celeriter ſubducentes ſcaphis, ad littus evadunt. Prædones navem hærentem ſtatim conſcendunt, ac non magnum frumenti numerum in ſcapham tranſportant, quo apud ſuam navem depoſito, rurſùs ad littus contendunt, ut arreptis naviculis piſcatoriis ad exportandum frumentum uterentur. Sed cum militum manus ab Urbe miſſa littus occupaſſet, adventantes prædones glandium procella excepit. Qui ubi ſe contra armatos fruſtra ituros cognoſcunt, ad frumentariam curſum dirigunt, quam intereà loci milites conſcenderant, in eaque latentes hoſtem opperiebantur. At prædones, tametſi adeſſe milites præſenſerant, magno animo navem invadunt. In quos milites, laxatis ſclopis, nonnulliſque globis vibratis, nitrato refertis, intra ſcapham

pham conjectis, fœdiſſimis vulneribus eos afficiunt. Inde pulſi, deſperanteſque prædam, inhoſpitum littus deſerunt, atque ad prædatoriam, quam in alto reliquerant, ſeſe recipiunt. Hanc Regii ut peſtem averterent, ex Urbe tormenta juſtæ magnitudinis ad mare pertrahunt, inque ipſo aptant littore, ut adpulſas onerarias ab hujuſmodi contumelia defenderent.

32. Inter hæc adulto vere, cum Dasfeltius tormenta, & omnem belli apparatum, quem ad Urbem coëgerat, navibus Peninſulam præmiſiſſet, quò non multò anteà appulerant cum magno frumenti numero, quæ evaſerant Britannorum claſſem, Gallicæ naves Maſſilia profectæ (nam reliquæ in hoſtium poteſtatem venerunt) ex hibernis exercitum eduxit, Caſtellionem convenire juſſum. Verùm ne in altera Provinciæ parte aliquid moliri poſſent Auſtriaci, quo expeditionem cœptam morarentur, circum Dianium, & Alonem, III. equitum millia reliquit, quibus omnibus Petrum Ronquillum præfecerat. Ipſe verò cum VIII. M. peditum, equitumque, & tormentis, quæ ſecundùm Morellæ expugnationem, Nulis, uti tuto loco, reliquerat, San-Matthæum proficiſcitur. Quo tempore ab Ilerda movens Aurelianenſis è Gallia reverſus, cum mole copiarum, Dertoſam Cathaloniæ Urbem, ad Hiberum, ſatis opulentam, ac munitam, eo conſilio obſedit, ut ab ea parte Auſtriacis in Valentinam Provinciam aditus intercluſus, capta Dertoſa, eorum conatibus obſiſteret, non ſecùs ac Ilerda in Aragoniam quicquam molientibus. Dasfeltius, uti inter utrumque convenerat, cum ſuis copiis movens, ad Hiberi ripam tetendit: quem amnem cum binis pontibus conjunxiſſent, præſidiis ad eorum capita poſitis, tormenta diſpoſuere ſuis locis, ac mœnia quatere cœperunt. Hac Urbe citiùs omnium opinione expu-

Digitized by Google

gnata, inter deditionis conditiones cautum fuit, *ut Arx oppidi Ares Regi redderetur, quòd ſub ditione Dertoſenſis Præfecti tenebatur.* Unde deducto præſidio, ſubjectoque pyrio pulvere, evulſa funditùs, disjectaque fuit. Nec aliud habuere in poſterum latrones per eam regionem, quò confugerent, aſylum. Cæterùm ne abſque maleficio, præſidiarii inde egreſſi, CL. numero, cum equitibus nonnullis, Provincia excederent, Vallem Juncariam cum perveniſſent, Magiſtratus oppidi capiunt, aguntque in Cathaloniam, magno lytro redimendos. Quod cum ad Buſtamantem Morellæ Præfectum eſſet allatum, miſit extemplò equitum turmas aliquot, qui & prædam recuperarent, & maleficos illos peſſimè haberent. Qui eos brevi conſecuti equorum pernicitate, ex inſperato circumveniunt, ac nonnullos cædunt, reliquiſque fuga elabentibus, captivos, ac prædam omnem recipiunt, reducuntque incolumes.

33. Dum autem ad Dertoſam ſedent Regii, emiſſarii ex Cathalonia in Provinciam venerunt, ut quoquo poſſent modo oppugnationem interturbarent. Hi intra Provinciam illati, facilè deſtinata perfecturos rati, ſi Ruſticos ad defectionem rurſus inducerent, eorum animos tentare decernunt. Quibus præſens durum pertæſis jugum, ac priſcæ libertatis dulcedine illectis, rebus novandis, nihil præter Ductores, impulſoreſque, deeſſe videbatur. Et quidem ſi præferocem ſtolidamque gentem in ſuas partes traxiſſent, ſperabant fore, ut ventilante irarum flabello ſeditionis flammam, ingens incendium in Provincia denuò excitaretur, quo in extinguendo, Regii neceſſariò ab ea obſidione avellerentur. Sed Ruſtici, ſuis malis edocti, quanti ſtetiſſet ſuis fortunis, & capitibus, Regiam Majeſtatem neglexiſſe, fidemque violaſſe, odium prementes, haud pronis auribus accipiebant eorum ſuaſiones, & inania verba.

Digitized by Google

ba. Cum autem ſuis molitionibus hujuſmodi rebellionum incentores nihil eos commovere potuiſſent ad facinus audendum, latrones undique ad merendum ſub Auſtriacis ſignis convocant, qui ſeſe in montanis tenebant, atque ad inſigne aliquot capeſſendum hortantur. *Tempeſtatem haud poſſe fortunæ beneficio dari magis opportunam, ad Provinciam in libertatem vindicandam, cum & averſiſſimos colonûm animos, à Rege facilè in rebellandi ſententiam, denuò proclinaturos viderent, & rei patrandæ neminem fore impedimento, in ea Provinciæ parte, à milite vacua, paucis tironibus, ut præſidio eſſent commeatibus, in caſtra ad Dertoſam ſubvehendis, in oppidis viæ militari adjacentibus, modò relictis. Tum valida auxilia à Cathalonia tempeſtivè adfutura, quibus adjuti, recta in Valentiam ſigna eſſent laturi. Interim tamen oppidum munitum occupare intereſſe maximè, quod pro armamentario haberent.* His, & talibus magnificis verbis confirmati latrones, conveniunt armati DC.. qui ut juſti exercitûs ſpeciem, terroremque, multitudine ſua incuterent, montanos homines armatos inconditos, ſedibus excitos, atroci edicto ſequi ſe jubent, cum jumentis, ac viatico, & caſtra propè Segorbium metantur: fixiſque tentoriis, ſigniſque militaribus, occultis cœpere colloquiis, de tradendo oppido, & exiguo equitum præſidio, cum oppidanis paciſci. Tenebat oppidum Vincentius Carrozius cum XX. equitibus Provincialibus, ſeditionibus, in oppido malè affecto, ſi quæ orirentur, compeſcendis. Qui admonitus à quodam ſacrato viro Jeſuita de inſidiis oppidanorum, occultè cum ſuis equitibus, tantæ moli ſuſtinendæ imparibus, oppido ſe proripuit, ac Saguntum devenit. Fecere idem plerique ex Eccleſiaſtico Cenſu, Regiis partibus addicti, & Magiſtratus. Carrozius ubi Saguntum pervenit, Antonium à Valle, qui Valentiam cum præſidio tenebat, de conjuratione Segor-

 bien-

Digitized by Google

bientium facit ſcientem. Qui mox caſtigato per litteras Carrozio, quòd locum deſeruiſſet, jubet Ferrerium Almenaræ Comitem, qui ſe Nulis cum equitum globo tenebat, ut ſeſe conjungeret cum Carrozio: eductiſque tironibus L. quos Almenaræ reliquerat, Dasfeltius, ejuſdemque oppidi armatis colonis, & à Sagunto, & Puzolio, & Nulis quos contrahere poſſet, Segorbium citato agmine proficiſci. Committunt ſe itineri DC. armati, atque addenſato gradu Segorbium pervenire feſtinant. At latrones (incompertum qua ceſſatione irruere in oppidum cunctati ſunt) ſuis ſtationibus hærentes, etſi Regios adventantes conſpicati, nequaquam loco ſe commoverunt, ut oppido prohiberent. Sed mœnibus incluſos, adjuvantibus oppidanis, nullo fore negotio ut caperent rati, copias admoverunt. Verùm Ferrerius ubi oppidum ſubiit, equites diſcurrere per vias magnis clamoribus jubet, gladiiſque diſtrictis, oppidanis mortem intentare, ni ſe domi continerent. Mox per præconem pronunciari juſſit, eos ulmis militari more verberandos, qui limine domûs pedem efferrent. Quorum hominum coërcitam ubi videt audaciam, metuque perculſam multitudinem, diſpoſitis armatorum ſtationibus, concionem advocat primorum, & paucis *ad decus patriæ tutandum hortatur; ſin aliter ſint animati, liberè animum aperiant, ſe Regiæ Majeſtatis dignitati, ac ſuis pariter rebus nulla ope defuturum; videant proinde ſi potiùs ducant in officio permanere, an ſæviſſimorum latronum, queis nulla humanitas, nedum fides, contumeliis eſſe obnoxios. Hoc denique apud ipſos teſtatum relinquere, ſi rurſus deficerent, difficilem experturos Regem clementiſſimum, qui eos incolumes conſervarit, oblitterata præteritorum memoria.* His & talibus ea ſecuta eſt animorum commutatio, ut omnes *ſe eſſe paratos reciperent planè, ac confirmarent, pro patria, proque fide in Regem, vitam ipſam profundere.* Arma,

Digitized by Google

ma, quæ publicè aſſervabantur, delectu habito meliorum diſpertita, *ſe daturos operam unà cum copiis quas adduxerat, ut latrones temeritatis, & audaciæ pœniteret.* Itaque armatam plebem, ac certis locis diſpoſitam, queis periculi minùs erat, experiri volens Ferrerius, quoque eſſet in Regem animo, excitari jubet ad eam partem tumultum, atque ad arma ficto tubarum cantu conclamari. Segorbienſes audito clamore, alacriter accurrunt, murumque frequentes coronant ſatis intrepidè, ad hoſtium impetum ſuſtinendum intenti. Quo edicto fidei, & gnavitatis exemplo, quid illis hominibus poſſet credere, Ferrerius liquidò cognoſcit: tamen ne ſe dolis (ut ſunt ſuſpicacia militaria ingenia) poſſent facilè circumvenire, inter ſuos ſubitarios, ac legionarios, qui erant egregia fide, oppidanos interpoſuit, externiſque Præfectis parere juſſit. Cæterùm latrones, qui jam inter adultas ſegetes ad murum pervenerant, perfringunt bipennibus ferream, qua porta claudebatur, catenam, inque oppidum momento temporis irrumpunt. Quos non auſi contra aſpicere tirones, qui erant in fronte, fugam circum ſpectabant, queis ſubitarii fuere opportunè auxilio: nam & ex apertis, & occultis locis, adverſùs ingruentes adeò ſtrenuè rem gerebant, aſſidua ſcloporum diſploſione, ut furentem multitudinem ſiſterent, ejuſque impetum retardarent. At latrones, tametſi paſſim ſternerentur, reductis diligenter vulneratis in extremum agmen, viam occupare totis viribus nitebantur. Reſiſtit gnaviter ſubitariorum acies, quæ poſt principia inſtructa erat, adjuvantibus ſociis, intra proxima ædificia diſpoſitis. Mox, reſtitutis ordinibus, tirones pugnam inſtaurant. Sed cum ex ædificiis deſtinatò in hoſtem jacularentur; glandiumque imbrem ſuſtinere latrones nequirent, domum muro hærentem incenderunt, ut illam peſtem averterent. Quod

K 5 cum

Digitized by Google

cum minùs obtinuiſſent, ob ſingularem propugnatorum conſtantiam, ac pleroſque ex eorum numero deperdidiſſent, diris, imprecationibuſque in oppidanos jactatis, quòd promiſſis de tradendo oppido haud ſtetiſſent, ab incœpto tandem deſtitere. Poſt tamen hortorum macerias, aggereſque agrorum latitantes, in ædificiaque, & muros, etſi irrito conatu, ſclopos diſplodebant. Contra præſidiarii per rimas, & feneſtellas certo ictu in eos, qui paulò incautiùs verſabantur, jaculari haud ceſſabant. Verùm cum deficiente nitrati copia, obſeſſi languidiùs tela evibrarent, Ignatius à Leone, Præfectus Hiſpanus, cum equitibus C. ex Granatenſi ala disjunctis, quæ Valentiæ præſidium agitabat, totidemque globariis à Caſtellione accitis, & à Sagunto, & proximis oppidis Regi fidiſſimis, adjuncta valida ſubitariorum manu, cum aliquo pulveris numero, ſuppetias laturus obſeſſis profectus fuit. Ubi autem propè Segorbium venit, in inſidias incidunt antecurſores, ab latronibus, inter duos tumulos, quà iter faciebant equites, diſpoſitas. Sed nihil territi eos invadunt. Advolant quoque ſocii hauſto ſtrepitu, quos conſpicati latrones, timore perculſi fugam capeſſunt. Obtruncantur pauci ab equitibus circumventi. Reliqui haud quaquàm manus effugiſſent Regiorum, niſi dato ſigno, ab ſtudio inſequendi hoſtem eos Præfectus revocaſſet. Deinde, ubi propiùs ventum eſt, primis tenebris appetentibus, deſciſſo ingentis nucis ſtipite, transverſèque objecto, cum alia materia, lapidibuſque, viam præſepiſſe offendunt, ne milites, niſi diſſolutis ordinibus induci poſſent. Quo animadverſo, inſidias ſuſpicati, ad ſubſequentes ſocios recurrunt, moxque in ipſo negotio conſilium capiunt, ac relicta militari via in duas alas diviſi, utrinque in ſegetes ſe conjiciunt. Latrones ubi ſe deprehenſos ſentiunt, ingeſta in militem irruentem miſſilium procella, nihil

Digitized by Google

hil auſi ulteriùs, fugam arripiunt. Cæduntur nonnulli ab equite intercepti: miles unus vulneratur: cui ne illuderent vagi latrones, fortiſſimus juvenis Saguntinus humeris ſublatum, Segorbium perduxit. At pertinaciſſimi latrones, nihil multiplici clade exterriti, nec virtute, & numero Regiorum, qui intra oppidum erant, commoti videbantur, ut cœptam obſidionem ſolverent, imò inſtare, magis, urgereque obſeſſos, modò Arcem, modò oppidum invadentes, etſi inani ſemper labore, donec adventante Joanne Ivagnezio Turulenſi Præfecto, cum equitibus CC. ut ſuppetias ferret laborantibus, anteà evocato, de ſpe potiundi oppidi deciderunt. Nam ubi appropinquantem à tergo ſenſerunt, collectis raptim ſarcinulis, ad avia, deruptaque montium confugere, unde poſteà diſpalati, qui inermes, ſua mapalia, armati manipulatim nota perfugia petiverunt. Hoc liberato modo Segorbio, Ferrerius, relictis equitibus C. & binis globariorum vexillis, reliquas copias dimiſit, & cum Carrozio ad ſtationem ſuam Nulas reverſus fuit.

34. At, capta Dertoſa, Valentiæ fiunt ſupplicationes: indicuntur per tres noctes lychnoiæ, quibus peractis cum ingenti reboantium tormentorum fragore, æris campani pulſu, & magno populi gaudio, ut jam longè mitiorem animum in Regem induiſſe plebs videretur, repentè, Regis nomine, Rectores Urbis ingentem pecuniæ vim imperant, quam cum minùs eſſent ſolvendo, attritis belli calamitatibus omnium fortunis, contracto, triſtique vultu incedentes, omnia queſtibus implebant. Quibus commoti ex primoribus nonnulli, Rectorum decreto intercedunt, datiſque ad Regem litteris rem omnem exponunt, qui ſtatim ſuo reſcripto imperatam pecuniam exigi vetuit. Hac Regis clementia deliniti homines, facilè animos compoſuerunt. Et quidem

Digitized by Google

dem aliis de cauſis jamdiu iram concoquebant, ob Urbis ſcilicet mœnia, turreſque, deterſis pinnis, malè deformata, coronaſque, & gentilitia ornamenta dejecta in gentis contumeliam. Ex quo ſermones in circulis habiti adverſùs Regiam Majeſtatem; conſueto ſcilicet malo otioſorum hominum è plebe indignè omnia interpretantium, quæ minùs animo aſſequuntur. Alii autem nimis curioſè aliena rimantes, & in rerum abdita ſeſe importunè intrudentes, aïebant Dasfeltium, quòd minùs Urbis Magiſtratus coluerat, quàm ipſe animo ſecum antè peregiſſet, doniſque celebrarat, uti Antonium à Valle, Urbanum Præfectum affecerat, in cauſa fuiſſe, cur ille iratus dejicere ornamenta murorum, Urbemque dehoneſtare juſſiſſet, tametſi titulus erat in rebellionis vindictam.

35. Verùm, ut in Regis poteſtatem, accurante Aurelianenſi, venit Dertoſa, ipſe cum ſuis copiis Aragoniam, relicto in ea Urbe validiſſimo præſidio, & fabris, qui labem propugnaculorum inſtaurarent, ac validiùs ex diſciplina militari communirent. Dasfeltius, juſſis ſe ſubſequi copiis, Valentiam reverſus fuit. Miles in agro Valentino, & ad Sucronem ſtativa habuit, dum terra, marique, diverſis ex locis, obſidionalis apparatus comportabatur Dianium verſùs, unà cum magno moliti frumenti numero. Cœperant prætereà in Urbe, ubi inſtituta nuper erat officina, majora conflari tormenta, quæ non pauca eò quoque trahebantur. Quibus rebus apparandis, & latronibus ad deditionem cogendis, adeò ut ea Provinciæ pars, ad Cathaloniam vergens, ea peſte liberata penè fuerit, exacta eſt æſtas. Ultra Sucronem verò, ab ejusmodi incommodo, præter maritima, quieta erant omnia. Alone, & Dianio non multi continebantur, qui ea loca reddebant infeſta. Alone ſiquidem aliquandò egreſſi deprædatum

Digitized by Google

tum per agros, à Betancurtio, in libertatem haud multò antè vindicato, & Ilice cum equitatu excubante, intra oppidum compulſi fuere, & ex itinere aliqua in agro Alonenſi ædificia, in quibus frumentariæ molæ verſabantur, diruta ſunt, & molæ perfractæ, magno hoſtium incommodo. Nec ad Dianium aliter ſunt accepti. Nam Carolus Succarus, qui ea loca curabat, egreſſos inde latrones, & præſidiarios milites Regios commeatibus inſidiaturos, tam malè habuit, ut captis, ſtratiſque CL., reliquos ad oppidum fugaverit. Atque in hunc modum univerſa latronum penè extincta eſt natio.

36. Dianium autem, inter hæc, præſidii cauſa firmioris venerat, navi à Cathalonia vecta, cohors Caſtellanorum, qui ad Auſtriacas partes confugerant, qui cum aliis MD. Britannis, & Luſitanis præſidium agitantibus, diu videbantur trahere poſſe imminentem obſidionem. Cui rei momentum perſanè magnum quoque erat Philippus Valera, quem ſuperiùs memoravimus, illi Arci, amoto Didaco Rejonio, ante paucas tempeſtates Præfectus, cujus collecta fama in rebus belli, mirificaque in apparandis ad repugnandum neceſſariis providentia, & induſtria, Borbonicæ fortunæ curſum remoraturæ videbantur. Quippe hoc bello id erat diſcriminis inter utrumque Principem, quòd quæ una populi flamma furentis Carolo viam ſternebat, ad omnia citra penè laborem obtinenda, eadem Philippo recuperanda juſtis Exercitibus, multo impendio, & ſanguine ſtabant. Tanti eſt populorum quò propendet inclinatio, cuncta ſecum primo incubitu trahentium. Cæterùm poſtridiè Nonas Novembris elabentis anni, Valentia movens Dasfeltius, Dianium verſùs, quò præceſſerant copiæ, iter pronunciari juſſit. Ronquillus, quem ad eam regionem Dasfeltius reliquerat cum equitatu, ut anteà docuimus, de

Digitized by Google

de ejus adventu admonitus, cum aliqua manu loca opportuna occupaverat, undè facilior inſtitueretur oppugnatio. Ubi reliquæ cum Dasfeltio pervenerunt copiæ, manus operi admovetur: quod ita ſucceſſit, ut, diei ſpatio, munitionibus oppidum fermè clauderetur: tametſi tormentorum omnis generis aſſidua fulminatione, amoliri ingruentes perſtrenuè conarentur obſeſſi. Quod dum adminiſtratur, Dasfeltii femur, qui ſua præſentia, & periculo, militem ad promovendos aggeres hortabatur, ſaxi fragmine affligitur. Vergit Dianii pars in planitiem, occidentem verſùs, quam Villam novam vocant. Hanc poſitis tormentis oppugnant ſumma vi, adeò ut, eodem die, bona pars muri dejecti viam præberet non difficilem ad irrumpendum. Gladio igitur diſtricto, miles, ut datum ſignum eſt, oppidum intrat. Præſidiarii, qui eò loci excubabant, exterriti ſubito ingruentium clamore (Regii enim improviſò de prima vigilia invaſerant locum,) non multis ſclopis laxatis, fugam per metum, ſuperiorem verſùs partem, quod vetus oppidum dicitur, ſtrenuè capeſſunt. Quorum ea fuit trepidatio, ut intra illam oppidi partem recepti, ejus poſt ſe portarum fores patentes reliquerint, quas continuò, re animadverſa, vectibus, & ſeris validè obfirmarunt, dum Regii nonnullos trucidant in fugiendo ſegniores. Et prima quidem irruptione, nec ſexûs, nec ætatis habetur ratio. Præda non ita ingens fuit, quòd ſua quiſque jam antea in Arcem compegerat. At locupletiores, navibus conſcenſis, cum omnibus iis quæ moveri poterant, aliò migraverant, à nonnullis diebus. Id quoque fecerant, & Sacratæ Virgines, & multi ex Eccleſiaſtico cenſu, ſacris altaribus deſertis, Villa nova capta. Poſtera die, navis portum ſubiit cum CC. militibus, qui eſſent auxilio in Arce laborantibus, quorum Ductor cum intra Arcem veniſſet,

Digitized by Google

niſſet, & quo res eſſet in periculo animadvertiſſet, facere vetuit exſcenſionem, ac navem rurſùs conſcendens, protinùs ſublatis anchoris, Alonem, undè venerat, reverſus fuit. Obſeſſi autem deſerere inter alia fuerant coacti Franciſcanorum Cœnobitarum ædem, quam juxta Regii diſpoſitis, quæ habebant XVI. tormentis, & eximiæ magnitudinis mortariis IX. Villæ veteris portam ſatis munitam, & Arcem pariter quatere cœperunt, ducto etiam aggere ad eam portam, ut portu omninò prohiberentur obſeſſi, cujus beneficio maximè fidebant. Nec diu tulere ea incommoda, periculaque, nam Luſitani non demuſſatis modò inanibus querelis, ſed ſpreta imperii majeſtate, ſeditioſis vocibus primi tumultuari intra Arcem cœperunt. Quorum veritus proterviam Valera, ne qua afficeretur contumelia, protinùs deditionis ſignum proponit, cum ingenti dolore, quòd aliorum ignavia fraudi ſibi eſſet, atque ignominia. Cujus cum audiiſſet Dasfeltius conditiones, eaſque uti importunas rejeciſſet, deditur tandem cum univerſo præſidio, quicum in Caſtellam pariter ducitur captivus. Oppidani non aliter, quàm Regis arbitrio permiſſi, in fidem recipiuntur. Apothecæ refertiſſimæ omni commeatu repertæ, & armamentaria inſtructiſſima: atque ideò, cum intra dies octo captum eſſet oppidum, cum Arce, tamque fœdè deditionem feciſſent obſeſſi, eorum id factum ignavia, ſocordiaque, in confeſſo fuit. Captum oppidum muniri diligentiùs ex militari diſciplina cœptum eſt: atque interiùs objecta, admotaque mœnibus tulere, quæ violentis tormentorum incuſſibus eo oppoſitu firmiora reſiſterent, in novæ munitionis ſpeciem reformatur, adjectoque trium cohortium præſidio, ejus cuſtodia demandata eſt Emanueli Aurelianenſi, Xani Comiti, viro è Gallia oriundo, qui à multis annis Hiſpaniarum Regibus militabat.

37. Hanc poſt rem geſtam non ita multis diebus,

Digitized by Google

bus, quòd reparandis muri ruinis, aliiſque inſpiciendis, non nihil temporis ſumſerat Dasfeltius, copias Alonem verſùs proficiſcentes ſecutus fuit. Interim Magiſtratum, quem Valentini Deputationem vocabant, cujus officia, recuperata Provincia, interrupta Regio erant decreto, in priſtinum reſtitui, poſt varias ſuper ea re conſultationes, juſſa ſunt, datis ad id à Rege litteris. Verùm, mutata ejus forma, placuit acciri, qui tale munus obirent, Caſtellanum quemdam, Joſephum Pedrachium dictum, qui id temporis Quæſturam in hac Provincia obtinebat. Ex Rectoribus Urbis, Vincentium Carrozium: & ex Eccleſiaſtico Cenſu, Petrum Granellium Sancti Martini Curionem, qui tres Eccleſiaſtico-Laïcum hujuſmodi Magiſtratum adminiſtrare tunc temporis, ac Provinciæ negotia pro munere curare cœperunt. Ærarii præterea Urbani pecunia, non niſi in belli uſus uſque adeò inde extracta, publicæ commoditati paulò anteà permiſſa fuerat, eaque ut ab Urbano Magiſtratu patriæ morato more tractaretur, ſub præfati tamen Quæſtoris imperio. Qua facultate obtenta, menſtrua creditoribus penſio ſolvi aliquando cœpit. Hoc tempore incenſa graviter annona fuit fraude piſtorum, quibus data venia fuerat, ut Caſtellæ inſtitutum imitati, propalam venderent æſtimatæ magnitudinis panes, quod anteà vetitum: proptereà quia Seviri annonam curabant. Et quidem corraſerant piſtores ingentem frumenti modum ex Agro Valentino, ut vix, unde peti poſſet, venale inveniretur. Cumque pretium augeretur, panis magnitudinem, & pondus, habita pretii, quo venibat frumentum, ratione, minui neceſſe erat. Ergò Rectores, ut incommodo hujuſmodi obviam irent, edixere, ne quis ex grege piſtorum, niſi ex publicis horreis, frumenta pararet in dies conſummenda. Quo factum eſt, cum nemo privatim vendere inſtitoribus

Digitized by Google

bus auderet, nec illi ſimiliter petere indè poſſent, ut priva horrea abundarent, & pretium frigeret. Nec erit abs re docere, quòd, quamvis ſummis anguſtiis in Provincia premerentur, attritis bello omnium facultatibus, tamen abjecta veteri, atque avita frugalitate, qua Hiſpani homines ſemper inclaruere in victu, & veſtitu, ſtudio magnificentiæ ad externos cultus prolapſi, eorum opulentiam, & luxuriam imitati, corymbia præcipuè, & capillamenta, rara anteà, hoc tempore impenſiùs colebant. Sed de his, & talibus gliſcentibus vitiis multa erant dicenda, ſi operis adeò reſciſſi vellem modum excedere.

38. Verò enim verò, Dasfeltius pridiè Calendas Decembris, cum omnibus copiis, & obſidionali apparatu, agrum Alonenſem intravit, & ſequenti die, ſinuoſis foſſis, per multas expedas, ad Suburbii munitiones perductis, militem ad irrumpendum intentum, paratumque eſſe imperavit. Quod Suburbium, etſi ſatis munitum ab hoſtibus tenebatur, tamen non expectato congreſſu, fœdè deſertum eſt, & à Regiis ſtatim occupatur. Inde aliud proximum oppugnare inſtituunt, ſed obſeſſi, aſſiduo glandium imbre compluti, animos deſponderunt, tergaque vertentes, intra mœnia ſe condidere. Dasfeltius autem ubi deſerta ab hoſtibus Suburbia videt, Petrum Ronquillum, cum VII. globariorum vexillis, loca illa occupare jubet. Nec mora, tormentarium erigitur ſuggeſtum aptandis belli machinis, & cuniculus ſubfodì cœptus, ut ancipiti malo quatefacta mœnia, faciliorem præberent aditum irruentibus. At Joannes Picardus, Præfectus Britannici præſidii, cui Arx in cuſtodiam credita erat, veritus Regiorum impetum, quòd oppidum ampliùs defendi nequibat, deditionis extemplò dat ſignum, datiſque ultrò citròque obſidibus, dum res tranſigitur, in hæc verba deditionem faciens. *Legionariis omninò, & quidem relictis equis,*

Digitized by Google

ſub ſignis ex oppido exeundi, & Cathaloniam migrandi poteſtas eſto: Oppidani, & qui ad Oppidum confugerant, à Rege veniam imploranto. Ægris, ſauciiſque, in valetudinariis manere, & cum meliùs habuerint, in Cathaloniam proficiſci jus faſque eſto. Perque dies IV. arma bona fide ceſſanto. His pactis conditionibus, & Richardo cum ſuis Britannis in Arcem reverſo, Regiis ad Ilicem ſpectans porta datur, & eodem tempore, præſidiarii oppido egrediuntur. Verùm eos ſequenti die conſectati equites à Dasfeltio miſſi, armis, ſagiſque exutos, tanquam jure belli captos, ad Caſtellæ interiora deducunt. Quod ea de cauſa fieri creditum eſt, quòd ad Magonis Portum in Minori Baliari, paulò antè à Britannis, poſt diuturnam obſidionem, capta Sancti Philippi Arce munitiſſima, præſidium Hiſpano-Gallicum, præter jus faſque, violata conditionum fide, malè habitum fuit: ac præterea quòd tribus retrò annis, ad eamdem Arcem Alonenſem præſidiariis Regiis fidem datam, reclamante Mahonio, in quibuſdam improbè fefellere. Sed hujuſmodi multa erant, quorum cauſa iram diu concoquebant utrarumque partium Ductores, quæ per occaſionem in mutuam perniciem erumpebat. Poſt hæc Dasfeltius, præcluſis omnibus ad Arcem ducentibus viis, Portuque, propugnaculis refectis, majoribuſque tormentis adornatis, egregiè munito, ut quà mare, quà Arce oppidum in medio poſitum ab externa vi tutum præſtaret, montem cui Arx impoſita eſt, foſſoribus accitis ex Agro Alonenſi, terebrare inſtituit. Qui labor, licet improbus, immenſuſque principio videretur, ſucceſſu aliter comprobatum eſt. Nam perfractis, avulſiſque rupibus, in latere montis prominentibus, intùs mollis reperta humus nihil penè obſtitit, ut ex diſciplina cuniculi ſubfoderentur. Conati ſunt tamen hoſtes ex Arce inceptum opus impedire, demiſſis per funes ma-

majoribus globis incenſis, qui juxta ſpecus os crepantes, ac in plurima fragmina diſultantes, diſcerperent foſſores, & ab incœpto deterrerent. Sed brevi Magiſtri operis ingenio ea cura liberantur; quem enim cuniculum recto ductu in montis viſcera inſtituerat, paululùm obliquare juſſit, ut ita tranſverſus, & ſua obliquitate, & egeſta humo tegerentur, atque ab ea parte deinceps tuti in opere verſarentur. Interim juſſit Dasfeltius Jojoſæ mœnia (quod oppidum, Alone recepta, in deditionem venerat) dirui: ac omnium præterea Caſtellorum, ad eam partem maritimam, ſolo æquare munitiones, ne copias tot locis præſidio firmandis diſtinere cogeretur.

39. His rebus intentum Dasfeltium gravior inceſſit cura, quæ ab inſtituto opere neceſſariò avulſit. Nam cum Auſtriacus Exercitus, Cathaloniæ finibus incluſis ſuis, viribuſque, opibuſque diffiſus, nequaquam poſſet aperto marte, & juſta expeditione aliquid moliri, ad fraudem, inſidiaſque talem dolum intenderunt Ductores, ut Dertoſam nuper amiſſam recuperarent. Movere jubent clanculùm V. M. armatorum ex hibernis, qui per montana, ac ſaltuoſa loca, ne, ſi per viam militarem incederent, proderentur, ad Dertoſam profunda nocte pervenere. Extemplò mœnibus ſcalas admovent, captis priùs equitibus, qui negligentiùs, quàm par erat, pro oppido excubabant. Irrumpunt aliquot manipuli per diverſa loca, & ejecta, ex Templi quam vocant porta, ſtatione, ejus fores moliuntur, & ſeras, clauſtraque introrſùs effringunt. Quo facto, ſocios admittunt, ac ſucceſſu deinde blandiente, bonam oppidi partem nullo negotio occupant: perque vias diſpoſiti, captum locum egregiè tuentur. Accurrit Betancurtius cum promtiſſimis, qui paulò antè eò miſſus venerat Propræfectus: & ſtrenuè perquàm hoſtem deturbare conatus, tribus glandibus trans-

Digitized by Google

fixus cecidit, tot egregia pro Rege edita facinora honeſto mortis genere claudens. Interim accurrentes ex omnibus partibus defenſores, in hoſtem faciunt impreſſionem: ex ædibus, aut viis, quas occupaverant, ejiciunt, multis utrinque captis, interfectiſque. Nec mora, præſidiarii tectis ignem injiciunt, ne rurſus in ea conditi hoſtes negotium faceſſerent. Dum autem parant denuò in hoſtem extra portam morantem erumpere, conglobatum eorum agmen ceſſim ire cœpit, ac locis ſeſe ſuperioribus tueri, ne iniquiore fortuna cum victoribus manus conſerere cogeretur.

40. Hoc nuncio accepto, Dasfeltius, quod ad ſe pertinebat, ejus Urbis cura vehementer penetratus, relictis ad Alonem IV. M. armatorum, cum Petro Ronquillo, operibus promovendis, magnis ſecum itineribus rapit reliquum copiarum, Cathaloniam verſus, ſed læto, dum properat, accepto rei benè geſtæ nuncio, per eam Provinciæ partem, ad Ilercavones in hiberna copias diſtribuit, ut citiùs Dertoſenſi præſidio, ſi opus eſſet, auxilio venirent.

41. Quo tempore hæc agebantur, initio ſcilicet anni MDCCIX. Regio decreto ad LX. Matronæ, quarum viri fuerant Auſtriaca arma ſecuti, Valentia exiguntur, & præſidio militari eas proſequente, ad viros pervenere. Quibus etſi bona proſcripta, dotes tamen uxoribus reſtitutæ fuerant, ne in feminas, aut inſontes, aut imbelles ſævitum videretur. Verùm miſerabilis tamen res viſa eſt, Nobilia præcipuè corpora, ac in deliciis vivere aſſueta, deſertis laribus, longi itineris incommoda ſubire ſub ipſa penè bruma, & in alias regiones aſportari, ferendis tot diriſſimi temporis laboribus, atque anxietatibus. Viri aliquot Nobiles exilio mulctantur, quos inter Joſephus Julianus, cum univerſa familia, in Caſtellam raptus fuit. Ex Eccleſiaſtico demùm ordine XXC. viri extra Regiam deditionem pelluntur, in quibus

Ca-

Canonici Valentinæ Metropolitanæ duo. Cujus rei cauſa fuit commercium, quod inſtituerant litterarum, cum iis, qui Auſtriacas partes ſecuti, in Cathalonia verſabantur. Nam ex comprehenſis epiſtolis, ab exploratoribus hoſtium allatis, habiti ſunt manifeſti, & patrio mox ſolo ejecti. Exploratorum capti ſunt V. cum litterarum faſciculis, & in patibulum acti. Et quidem hujuſmodi epiſtolari commercio rumores paſſim dediti, *Fœderatorum arma nunquam quietura, niſi Carolo Hiſpaniarum Regna vindicarent, Caſtellanis repugnantibus ſub jugum miſſis, quod è re, & exiſtimatione ſua id eſſe maximè. Hærere Principem in Cathalonia, pugnaciſſima Provincia, cum copiis non ſpernendis, quibus adjunctæ dudùm Germanorùm Legiones, cum ſtrenuo, ac famigerato Ductore Guidone Starembergio; bellumque tantis opibus ſeriò inſtauratum iri. Inque Hiſpaniam unam, & ſuſtinendo imparem, tantam molem incubituram, fatiſcente Gallia, ac ſibi jam timente ab armis Fœderatorum, quæ toto fermè Belgio ſubjugato, felici victoriarum curſu in ipſam Galliam penetraverant. Ex penitiſſima porrò Germania Barcinonem adductam Wolfenbuttelæ Principis clariſſimam filiam, Auſtriaco ſponſam, ab Hiſpania diſceſſurum nunquam, fiduciam facturam. Summum denique Sacrorum Antiſtitem ab ejus parte ſtare, alienata à Philippo mente, multis ſignificationibus teſtatum, præter Nuncium ad eum Roma miſſum à Latere Legatum. Ergò præſentis opportere calamitatis ferre mala obfirmatis animis haud diu duratura, nec de priſca libertate deſperandum, ſtante Principum Fœdere.* Hæc, & alia inter iram, metumque, fremebant homines ſatis immodeſtè, qui deſperatis propè remediis, ſuis malis vel in perniciem ceſſura verborum ſolatia adhibere, ut ſpem alerent, ſatis eſſe putabant. Unde exilia, vincula, proſcriptiones, & ingens malorum ſeges exorta.

42. Intereà verò loci, menſes III. abierant, ex quo Alonenſis Arx obſidebatur, cum ſubfoſſi cuniculi

pyrii pulveris ingenti vi ad CXX. M. pondo, ſtantibus munitionibus minitabantur. Quod cum accepiſſet Dasfeltius, cum ſolita corporis cuſtodia, & familiaribus quantùm potuit, eò feſtinavit. Ibi dum cœptis incumbit, crebriùs quàm antea fulminantibus utrinque machinis, ſummum adit vitæ diſcrimen. Inter alios enim è ſublimi cadentes nitratos globos, incidit unus eximiæ magnitudinis in ædes, in queis fortè hoſpitabatur, qui perfoſſo tecto, tabulatiſque in ipſo conclavi, ubi ipſe aderat, immani fragore edito crepuit, & omnibus fortè fortuna ſervatis, unum omninò juvenem Gallum ejus Scribam, graviter afflixit. Cæterùm Dasfeltius, extrema certus experiri, Arcis Præfecto nunciari juſſit, *quo in diſcrimine in ea incluſi verſarentur*. Qui ſtatim ex diſciplinæ militaris inſtituto, miſſis ejus rei peritis hominibus, qui opus inſpicerent, *parum ſe commoveri renunciavit inani illius periculi imagine, quòd pro ſe haberet pugnantia ſaxa ardua, ac derupta, nulla vi ſuperanda: imò debere uſu cognoſcere, quantùm labore adeò inſano effeciſſet.* Hoc accepto reſponſo, juſſit Dasfeltius ſuccendi cuniculum, quo tempore Arcis Præfectus, & ejus Vicarius Fridericus Sylburgius, fortè cum aliis ex primoribus, in eo propugnaculo ſpatiabantur, in cujus perniciem directus fuit cuniculus. Itaque concepto igne, propugnaculum temporis momento avulſum fuit, disjectumque, evibratique pariter qui aderant mortales, ac ſuper impoſita tormenta. Fefellit tamen eventus auctoris opinionem: non enim modò molita eſt aditum mediatæ irruptioni opportunum vis ignis, verùm etiam omnem irrumpendi ſpem penitùs præcluſit. Siquidem ſectis, avulſiſque rupibus, quibus impoſitum erat propugnaculum, profundum adeò fecit aſcenſum ad eam partem, directumque, ut altiſſimi muri ſpeciem redderet. Quapropter in ſpem irritam tempus ſe triviſſe Gallus

co-

Digitized by Google

cognoſcens, ac deſperans contra immaniſſimas rupes vera vi poſſe quicquam ampliùs, præcluſos anteà aditus ad Arcem ducentes diligenter admodùm cuſtodiri juſſit, ut quos vis ignis nihil molliverat, rerum neceſſariarum penuria domaret: haud neſcius, conſtantia, non impetu, locorum obſidiones finiri.

43. Poſt hæc, Mantuam Carpetanorum profectus eſt, demandata Provinciæ cura Franciſco Gaëtano Aragonio, Nobili Neapolitano, qui poſteà per aliquot annos eam adminiſtravit. Haud diu poſt fuit, ut Fœderatorum Claſſis, ad XVII. ſcilicet Calendas Maii, Alonem perveniret, ut obſeſſis opem ferret. Ac protinùs X. naves propiùs admotæ, ingenti tormentorum fragore, mœnia, & propugnacula quaſſare inſtituunt. Sed hæc, vel facta ad incutiendum Regiis terrorem; vel fruſtra fieri animadvertens Didacus Stanhopus, Claſſis Præfectus, ad Aragonium, qui eò occurrerat, miſit caduceatorem, inducias rogans, ut ceſſantibus bona fide utrinque armis, de Arcis deditione ageretur. His acceptis mandatis, inhibere juſſit tormenta Aragonius, & Stanhopum, ad oppidum in littore exſcendentem, comiter excepit. Deinde datis, acceptiſque honeſtis conditionibus, Arce exceſſere Britanni cum ſuis ſarcinulis, & binis tormentis æneis non magnis. Nec mora, conſcenſis navibus, dant vela ventis, & Valentina littora relinquunt. Regii XIII. Calendas Maïas Arcem obtinuere, in qua armamentaria inſtructiſſima inventa fuerunt; cibariorum verò, & aquæ copia minùs abundabant.

44. Cæterùm Alonenſis recepta Arx, Valentini Regni debellandi finem tulit. In eo enim nihil fuit quicquam relictum Auſtriacis, quà iterùm Regiis arma inferre poſſent, cum eò res eſſet deducta, ut niſi armis belli, fruſtra eſſet quicquam aſtu moliri,

Digitized by Google

quod initio motûs egregiè ſuccedebat, ſiquidem deprehenſis artibus, & occultis induſtriæ machinis, quibus anteà res gerebatur, vera vi, & aperto marte opus erat, vel ad tuendam partium dignitatem, bellumque ſuſtentandum; quibus cum minùs valerent Auſtriaci, propterea quia nonnulli ex Fœderatis jam tum exæquare vires partium potiùs, ſurdo quodam armiſtitio, quàm bellum feriò gerere videbantur, faciliùs ea amittebant, quæ nullo negotio, atque intertrimento fuerant aſſecuti. Ruſticos denique armatos, qui adhuc latrocinia exercebant, non multis poſt tempeſtatibus, Aragonius edicto prolicit ad ſpem ſine noxa arma ponendi. Et quidem recepti ea venia plerique, reliquis, facta Provincialibus geſtandi arma poteſtate, tot maleficiis eorum hominum exacerbatis, infenſa adeò cuncta fecerat, ut, cum ne latendi quidem apud fautores, metu pœnæ non recipientes, eſſet facultas, pars capti, ſupplicioque affecti ſint, alii, ut periculo ſe eximerent, ſolum verterint. Et hoc modo, ut ſuus eſt orbis rebus, tandem aliquandò Provinciæ alma pax reddita eſt.

FINIS.

INDEX

INDEX
MEMORABILIUM RERUM, ET VERBORUM MAXIMÈ PROPRIORUM.

Numerus Romanus Librum; Barbaricus Sectionem deſignat.

A.

ABarca. (Balthazar) I. 15.
Ahin vicus, III. 14.
Ajora occupatur à Borboniis, II. 39.
Alaixio. (Alaix. Petrus) II. 29.
Albazetes (Albacete) II. 38.
Alberolæ. I. 13.
Albertius (Albert. Joſephus) II. 6.
Albufera juxta Valentiam, deſcribitur, II. 26.
Alcanarium (Alcanar) in Cathalonia, direptum, III. 28.
Alcodium (Alcoi) obſeſſum à Borboniis, III. 18. captum, III. 24.
Alcudia occupatur à Moſcoſo, I. 28.
Alphonſus (Alfonſo. Franciſcus) II. 18. (Joſephus) II. 21.
Algecira (Alcira) Sætabicula, capitur ab Auſtriacis, I. 5. laudatur, II. 5. oppugnatur à Moſcoſo, II. 8. obſidione ſolvitur, II. 9. capitur à Mahonio, II. 3. & occupatur à Baſeto, II. 13. recuperatur à Borboniis, III. 8.
Almanſa, II. 39. pugna ad eam, II. 40.
Alone (Alicante) I. 18. expugnatur ab Auſtriacis, II. 15. à Dasfeltio, III. 38.
Alonenſis Arx expugnatur ab Auſtriacis, II. 15. à Borboniis, III. 43.
Alpons, (Alpuente) I. 9.
Althea, (Altea) I. 2.
Annonæ caritas, III. 37.
Apiarium, ſive Biarium (Biàr) I. 17. II. 38.
Aræ (Ares) earum deſcriptio, & incendium, III. 22. 32.

Aragonia (El Reino de Aragon) redit in obſequium Philippi V. III. 5.
Aragonius (Aragon. Franciſcus Gaëtanus de) III. 43.
Arcenſium (de Arcos) Dux, I. 20. 25. 27.
Arenoſius (Arenòs Joſephus de) II. 27.
Armengolius. (Armengol. Alexius.) I. 29. (Joachimus) II. 5.
Aſſio. (Onuphrius) Eques Valentinus, III. 6.
Avila (Franciſcus) I. 3. 17. 18. II. 39.
Aulicorum conſilia, I. 27.
Aurelianenſis (Orleans) Dux, II. 35. III. 1. 3. 32. 35.
Aurelianenſis (Emanuel) III. 36.
Azorius (Azòr. Joſephus Garcia de) I. 9.

B.

BAdenes. (Gregorius) II. 14.
Badia (Jacobus) II. 18.
Bagneres (Baneres) oppugnatur ab Auſtriačis, II. 32.
Baliaris inſula major (Mallòrca) II. 34. Minor (Menòrca) III. 38.
Barberius. (Barbèr. Emanuel) II. 18.
Barcino (Barcelona) obſeſſa à Philippo V. II. 6. 10.
Barcus (Barco) vulneratus. I. 11.
Baſetus. (Baſet. Joannes Baptiſta) I. 1. ejus character, I. 1. 3. II. 5. 7. bellicis machinis Præfectus, I. 2. Dianio egreditur, I. 5. Valentiam capit, I. 5. ejus facta, I. 16. 21. II. 6. & 7. Algeciram capit, II. 13. Valentia ejicitur, I. 28. prehenditur, II. 16.
Batavi fœdus ineunt adverſùs Borbonios, I. 1.
Belluga (Ludovicus) Epiſcopus Murcienſis, aut potiùs, Carthaginenſis, I. 8. 18. II. 19.
Belviſius. (Belluis. Joſephus) III. 1.
Benaſalium (Benaſal) III. 16.
Benicarlonum. (Benicarlò) occupatur à Franciſco Velaſco, I. 4.
Bergada. (Joannes) I. 12.
Berwickius (Berwick) Dux. II. 42. III. 3. 5. 10. 27. Vide *Fitz*.
Betancurtius. (Betancourt. Adrianus) II. 11. III. 35. occiditur, III. 39.
Biarium, ſive Apiarium. (Biàr) I. 17. II. 38.
Bilchſius, III. 18.
Binaroſium (Vinaròz) captum ab Auſtriacis, I. 4. 12.
Blanquerius. (Blanquèr. Ludovicus) III. 20.

Bo-

Digitized by Google

Bocairentium (Bocairent) recuperatur à Borboniis, III. 18.
Bonus. (Bono. Franciſcus) II. 18.
Borbonius. (Ludovicus) Vide *Aurelianenſis Dux.*
Borgia. (Bòrja. Paſchalis Franciſcus) Gandiæ Dux, I. 3.
Borriolium. (Borriol) I. 13.
Borrullius. (Borrull.) Petrus Joſephus, I. 9.
Boſchius. (Boſch. Didacus) II. 15.
Bovilii Marchio. (Joſephus Boïl de Arenos) II. 27.
Bovilius. (Boïl. Vincentius) I. 26.
Britanni fœdus ineunt adverſùs Borbonios, I. 1.
Bugnolii Capellæ. (les Cabrillas de Buñol) I. 25.
Burgundus. (Borgoñò. Alphonſus) I. 9. Petrus, II. 15.
Burjazotum. (Burjazòt) vicus, I. 16.
Buſtamante. (Franciſcus) III. 23. 32.

C.

CAbanyelles. (Joannes Thomas) II. 13.
Cabotus. (Cabot. Simon) III. 30.
Cabrera. (Baptiſta) II. 18.
Cabriada. (Franciſcus) III. 5.
Calatajubius. (Calatayud. Gaſpar) II. 13.
Calvaria. (Calvario) III. 7.
Cantelmius, (Reſtagnus) Dux Populi, I. 20. II. 37. 40. 42. III. 7.
Canterus. (Cantero. Petrus Joannes) I. 7. III. 14.
Capillamentorum introductio, III. 37.
Caracciolus. (Caraccioli. Ferdinandus) II. 15. (Nicolaus Antonius) Turrecuſæ Marchio, III. 15. 16.
Carcaxentium. (Carcagente) II. 3.
Cardona. (Antonius) Archiepiſcopus Valentinus, I. 8. 17.
Cardona. (Joſephus) Monteſianæ Militiæ Præfectus, I. 5. Prorex Valentinus, I. 29. ejus character, & facta, II. 6. 18. 23. 27.
Carolus II. inſtituit hæredem Philippum V. I. 1.
Carolus Auſtriacus, Archidux, ſalutatur Rex Hiſpaniarum, I. 2. in Luſitaniam navigat, *ibidem.* Valentiam ingreditur, II. 24. aucupio deditus, II. 26. Barcinonem proficiſcitur, II. 35.
Carraffa, III. 28.
Caraffa quidam Apoſtata, III. 13. 14.
Carrozius. (Carroz. Vincentius) I. 5. 29. III. 32. 37.
Carthago nova (Carthagena) occupatur ab Auſtriacis, II. 14. recipitur à Borboniis, II. 22.

Ca-

Digitized by Google

Caſaſus. (Joſephus) pater, & filius, II. 6.
Caſtelio. (Caſtellion de la Plana de Burriana) I. 12. 13. III. 5. 24. 28. 33.
Caſtella maritima diruta, III. 38.
Caſtellarium. (Caſtellàr) II. 6.
Caſtellio. (Caſtellò. Joſephus) II. 6.
Caſtelvinius. (Caſtellví. Joannes) Cerveglionii (Cervellon) Comes, I. 3. 8. II. 16. 27.
Caſtelvinius. (Caſtellví. Nicolaus) Caſtellarii (Caſtellàr) Comes, II. 6.
Caſtulo. (Caſtellon de la Plana de Burriana) I. 4. 12.
Cava cubitalla (troneras) II. 18.
Cavallerus. (Cavallero. Franciſcus) II. 31.
Caudetes. (Caudete) II. 40.
Cebrià. (Felix) II. 6.
Centelles. (Joſephus Joannes) Marchio, II. 6.
Cereçeda. (Joannes) II. 16. 36.
Cerdanus. (Cerdà. Damianus) I. 9.
Cerneſius. (Cerneſio. Joſephus) Parſentii Comes, I. 3.
Cerveglionii (Cervellon) Comes. I. 3.
Ceverius. (Ceverio. Joſephus) II. 13.
Chaveſius. (Chaves Joſephus) III. 9. 17. 18.
Cherta. (Echarte. Joſephus) II. 6.
Cincilla (Chinchilla) II. 37. 38.
Ciratum. (Cirat.) II. 13.
Civa, (Chiva.) deſcribitur, I. 11.
Clemens XI. Pont. Max. III. 41.
Clua. (Vincentius) II. 18.
Comes. (Franciſcus) II. 18.
Coppola. (Andreas) Conſani Princeps, I. 11.
Coronæ murorum, turriumque Urbis Valentiæ, dirutæ, III. 34.
Corrector (Corregidor) urbis Valentiæ creatus, III. 20.
Corvinus. (Corbí. Petrus) I. 3. 5. 17. II. 15. 31.
Corymbiorum (los Rodetes) introductio, III. 37.
Corzana. (Didacus de Mendoza & Sandoval, Comes de la Corzana) Prorex Valentinus, I. 1. II. 35. III. 2. 5.
Coſta (Iſidorus) Poëta elegantiſſimus, I. 29.
Creſpinus. (Creſpí) Chriſtophorus, I. 26.
Cucullati, I. 1. III. 13. 14.
Cullera recepta à Moſcoſo, II. 5.
Culleræ titulus datur Moſcoſo, II. 5.

Cu-

Digitized by Google

Cuſpis ferrea, (Bayoneta) I. 13. II. 21. 40.

D.

DAravajus Marchio, II. 40.
Dasfeltius. (D'Asfeld. Claudius Vitalis) II. 40. III. 1. 3. 6. 7. 8. 9. 11. 13. 20. 24. 32. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 42.
Dehona. (Andreas) I. 12. II. 9.
Denticius. (Placidus) II. 15.
Deputatio Valentini Regni reſtituta, III: 37.
Dertoſa. (Tortoſa) expugnatur à Borboniis, III. 32. 34. pene intercipitur ab Auſtriacis, III. 3. 9.
Deſcalſius. (Deſcals. Franciſcus) I. 9.
Deſpuigius. (Deſpuig. Franciſcus) I. 9.
Dianium, (Denia) captum à Baſeto, I. 3. oppugnatum à Dasfeltio, III. 10. & captum, III. 36.
Diarenes Marchio, III. 23.
Diegus. (Diego) Dionyſius, II. 18.
Dohna, Comes, II. 36. 37. 40.
Dolzius. (Dolz. Gaſpar) I. 29.
Domenechius. (Domenech. Petrus) I. 9.
Dominicus. (Domingo. Philippus) III. 2.
Dracones Milites. (Dragones) I. 25.

E.

EBuſus. (Iviza), II. 34.
Eciavarria. (Echavarria. Sanctius) I. 12. 31. II. 30. III. 28.
Edeta. (Liria) I. 27.
Eſcovedus. (Eſcovedo. Petrus) II. 18.
Eſpadilla, III. 15.
Eſquerdus. (Eſquerdo. Onuphrius) III. 3.
Exericæ. (Gerica) Dux. III. 27.

F.

FAlco & Blanes. (Vincentius) I. 9.
Fama in novis cœptis validiſſima, I. 10.
Fauſius. (Faus. Franciſcus) I. 9.
Faxardus. (Fajardo. Fanciſcus) Villadariæ (Villadarias) Comes, I. 3.
Fernandezius. (Fernandez) Ventura, II. 15.
Ferrerius. (Ferrer. Antonius) Segorbienſis Epiſcopus, II. 25.
Ferrerius. (Ferrer. Joſephus) Almenaræ (Almenara) Comes, I. 8. III. 32. 33.
Ferriſius. (Ferris. Vincentius) II. 6.

Fi-

Digitized by Google

Fineſtratium. (Fineſtrat) incenditur à latronibus, III. 30.
Fitz James. (Jacobus) Berwickii Dux, II. 20. 22. 37. 38. 39. 40. Vide *Berwickius*.
Fons Ficus, (Fuente de la Higuera) capitur ab Auſtriacis, I. 29.
Francus. (Franch. Franciſcus) III. 3.
Francus. (Franco. Joſephus) 15.
Frigola (Hieronymus) Secundarius Procurator Regius (Sorrogado del Baile General de Valencia) I. 9.

G.

Gæſum. (Chuzo) I. 11.
Galovæus. (Galoway. Comes) II. 25. 36. 37. 40. 41. III. 2. 5. captus, & ereptus à ſuis, II. 40.
Gamirius. (Gamir. Melchior) Sevir Valentinus, Princeps Magiſtratus. (Jurado en Cap de Valençia) III. 2. 3.
Garcia. (Franciſcus) I. 5.
Garcia. (Ludovicus) I. 5.
Garcia de Azòr. (Joſephus) I. 9.
Georgius, Haſſiæ Princeps, (Principe de Heſſe Darmſtad) I. 2. 3.
Gerbetus. (Petrus Benedictus) II. 18.
Gilartius. (Gilart. Iſidorus) II. 6. III. 3. 9.
Glans, bala, II. 8.
Globarii milites, (Granaderos) III. 33.
Globus ferreus, (Bala de cañon) I. 18.
Globus ferreus, ſulphurato pulvere refertus, (Bomba parada) I. 31.
Gonzalus. (Gonzalo. Petrus) II. 6.
Gotholanorum ingenium. I. 1.
Gradus maris Valentini (El Grao de Valencia) II. 18.
Granellius. (Granell. Petrus) III. 37.
Grantarlejus. (Joſephus) II. 42.
Guadaleſti Arx capta à latronibus, poſtea deditur, III. 29.
Guidenius, II. 11.

H.

Henriquezius (Henriquez Thomas) Caſtellæ Navarchus (Almirante de Caſtilla) moritur, I. 2.
Heraclea ad Calpen. (Gibraltar) I. 3.
Hontinentium (Hontiniente) receptum à Borboniis, & direptum, I. 18.
Hormara. (Guillielmus) II. 31.

Digitized by Google

Hurtadus à Mendoza. (Hurtado de Mendoza Didacus) Corzanæ Comes, I. 1. Vide, *Corzana.*

I.

IDiaquezius. (Idiaquez. Thomas) II. 42.
Idubeda, (Millars) I. 3. III. 20.
Ilercavones, I. 12.
Ilerda, (Lerida) recipitur à Borboniis, III. 5. 18. 22. 32.
Ilici, (Elche) II. 14. 20. III. 35. 38.
Ilicitanus ſinus, (Golfo de Alicante) I. 8. 18. II. 14.
Imperator Summus (Generaliſſimo) I. 13. II. 20.
Ivagneſius. (Ivañez. Joannes) III. 33.
Jecla (Yecla) occupatur ab Auſtriacis, II. 37.
Jojoſa (Villa Joyoſa) III. 26. ejus mœnia diruta, III. 38.
Jonas (Joannes) I. 12.
Jordanes (Jordà. Emanuel) II. 6.
Julianus. (Julià. Joſephus) III. 41.

K.

KRikuwius. (Robertus) II. 42.

L.

LAcus, (del Lago. Emanuel Stephanus) I. 8.
Lacus juxta Valentiam (la Albufera) II. 26.
Latrones (los Migaletes) I. 25. 29. III. 13. 28. 29. 30. 35. 44.
Laurona, (Liria) I. 27.
Lazarus. (Laſer. Petrus) II. 23.
Legionis Præfectus, (Colonel) I. 7.
Legionis Præfectus ſecundarius (Teniente Colonel) I. 7.
Leiva Antonius) II. 8.
Leon (Ignatius) III. 33.
Leonardus (Leonart. Thomas) II. 6.
Leopoldus Auſtriacus, Imperator, fœdus init adverſus Philippum V. I. 1.
Libelli publici (las Gacetas) II. 18.
Liechteſtein Princeps (Antonius) II. 24.
Liria, I. 27. ejus Dux, III. 27.
Loris (Ximenius) II. 18.
Locuſtæ, III. 12.
Lucus juxta Valentiam, (la Alameda) II. 11.
Lupus (Lop. Michaël Hieronymus) II. 6.
Lupus (Lop. Salvator) II. 6.

M. Ma-

Digitized by Google

M.

MAgonis Portus (Puerto Mahon) III. 38.
Mahonius (Daniel) ejus character, II. 15. facta, I. 21. 25. 27. II. 2. 3. 9. 15. 31. III. 8. 10. 24. 25. 30.
Major (Mayor. Petrus) I. 9.
Manriquezius (Manrique de Lara. Bonifacius) I. 7.
Manuel vicus, capitur à Borboniis, diripitur, & incenditur, II. 2.
Marcus (Marco-Joſephus) III. 9. 24.
Mariconda (Joſephus) II. 15.
Martinezius (Martinez. Paulus) II. 15.
Martinus (Martí. Balthaſar) III. 30.
Martinus (Martí. Bartholomæus) II. 15.
Martorellius (Martorell. Johannes) III. 7.
Maſcaroſius (Maſcaròs. Melchior) III. 2.
Maſius (Mas. Antonius) I. 31. II. 14.
Matthæus (Matheu. Petrus) II. 18.
Mediceus (Medicis. Octavianus) I. 18. II. 42.
Medinilla (Franciſcus) II. 19.
Mendoza (Antonius) Villagarciæ Marchio, Prorex Valentinus, I. 4. 5. III. 20.
Mercaderius (Mercader. Emanuel) ejus character, I. 5. 9. 29. II. 27.
Mercaderius, & Cervellonins (Mercader, i Cervellon. Garceranius) II. 13.
Mignana (Minnana. Johannes) I. 29.
Miles globarius (Granadero) II. 21.
Miniana (Minnana. Joſephus Emanuel) quomodò ſcripſerit Hiſtoriam Belli Ruſtici Valentini, I. 1.
Minienſis (de las Minas) Marchio, II. 16. 25. 36. 37. 40. 41. III. 2. 5.
Miraſolis (Miraſol) Marchio, I. 5.
Moja (Moya) II. 29.
Moja (Moya) Cyprianus, & Joſephus, II. 6.
Molendillum (Co Molinell) I. 3.
Moles lapidea tranſverſa (Azud de piedra) I. 16.
Mollanus (Molla. Petrus) III. 7.
Moncada, vicus Valentinus, I. 15.
Monſerratus (Montſerrat. Andreas) I. 9. (Vincentius) I. 9.
Monſerratum (Montſerrat) I. 28.

Mons Jovis (Montjuí) à Philippo V. capitur, II. 5. 6.
Monſorius (Monſoriu. Joſephus) Sevir Valentinus, III. 3. (Vincentius) I. 8. 9.
Montalegrum (Montalegre) II. 37. 38.
Montes (Vincentius) Sevir Valentinus, III. 3.
Monteſana Arx (El Caſtillo de Monteſa) obſidetur ab Auſtriacis, II. 31.
Monteſianæ Militiæ Præfectus (El Lugarteniente General de la Orden Militar de Monteſa) I. 5.
Montorus (Montoro) Curio, II. 21.
Morantius (Morant. Marcellinus) III. 30.
Morella I. 12. II. 9. III. 16. 23.
Moſcoſus (Moſcoſo. Chriſtophorus) Turrium Comes, I. 12. 13. 14. 16. 16. 19. 20. 27. 28. II. 4. 5. 8. 9. Marchio factus, II. 5.
Murcia oppugnatur, II. 17. 14.
Murcienſis Epiſcopus, aut potiùs Carthaginenſis, I. 8. 18. II. 19.

N.

NAvarchus (Almirante) I. 2.
Naves immanis magnitudinis (Navios de alto bordo) II. 15.
Nepos (Nebot. Joſephus) I. 28. II. 4. 5.
Nepos (Nebot. Raphaël) ejus character, I. 1. 3. facta, I. 7. 17. 29. 30. II. 1. 11. 14.
Nicolaus (Nicolau. Joſephus) I. 12. II. 17. III. 1.
Noguera (Joſephus) I. 29.
Noguerolius (Noguerol. Petrus) II. 15.
Nulæ (Nules) I. 6. 22. III. 14. 33.

O.

OBſidiones quomodò finiuntur, III. 42.
Ollerius (Oller. Maurus) I. 29.
Orcelis (Orihuela) proditur, II. 14. recipitur à Borboniis, & diripitur, II. 19. ejus Arx. II. 19.
Ortinius (Orti. Joſephus) III. 20. Hyacinthus, II. 18.

P.

PAravicinus (Paravicino. Gabriël) II. 15.
Pardus (Pardo de la Coſta. Johannes) II. 13.
S. Paſchalis (San Paſcual Bailon) templum, I. 13.
Paſchalis (Paſcual. Vincentius) I. 9.
Patibularius (Lo penjadet) III. 9.
Pedrachius (Pedrajas. Joſephus) III. 37.

Digitized by Google

Pegum (Pego) III. 19.
Pelegrinus (Pelegri. Ludovicus Salvator) I. 9.
Peninſula (Peñiſcola) I. 12. deſcribitur, I. 31. obſidetur, II. 30.
Peninſulani (los de Peñiſcola) I. 4.
Pennaquila (Penaguila) occupatur à Borboniis, III. 24.
Peralta (Joannes) II. 6.
Perelloſius (Perellos. Paſchalis de) I. 3.
Perezius Calatajubius (Perez de Calatayud. Ximenius) I. 6. Vide *Rabalius*.
Periſius (Peris. Joachimus) III. 7.
Periſius (Peris. Joſephus) I. 25.
Peterborwius (Peterborw. Carolus) I. 13. 18. 22. 25. 26. 28. 30. II. 1. 4. 11. 13. 14. 16. 23. ejus character, II. 16.
Petralva vicus (Pedralva) I. 27.
Petrus II. Luſitaniæ Rex fœdus init adverſùs Borbonios, I. 1. moritur, II. 33.
Philippus V. Heres inſtitutus à Carolo II. Hiſpaniarum Rege, I. 1. Barcinonem pergit, II. 1.
Philippopolis (San-Felipe) III. 27. Vide *Sætabi*.
Picardus (Picard. Joannes) III. 38.
Pila (balo de artilleria) I. 31.
Pintus Comes (Conde de Pinto) II. 39. 40.
Planities (la Plana de Burriana) I. 13.
Podium (la Roca del Pujol) III. 23.
Politicorum myſteria, I. 27.
Polus (Polo. Mauritius) I. 29.
Ponceus à Legione (Ponce de Leon. Joachimus) I. 20.
Pontius (Pons. Michaël) II. 9.
Pontonſius (Pontons. Antonius) II. 6.
Porta (la Puerta. Lucas à) III. 23.
Porta Regia (la Puerta del Real) II. 18.
Portugallius (Portugal. Melchior) I. 23. 25. II. 34.
Potitius, II. 38.
Pozoblancus (Marques de Pozoblanco) I. 4. 11. 24. II. 38. 40. Vide *Velaſcus*.
Prædones maritimi, III. 31.
Præfectus Equitum (Colonel de Cavalleria) I. 21.
Præfectura XIV- Virorum (la Regencia de la Audiencia de Valencia) I. 29.

Digitized by Google

Præfectus Urbanus (Comandante de la Ciudad de Valencia) III. 34.
Prætor (Governador) I. 18.
Prætor Urbanus ſecundarius (Teniente de Governador) I. 9.
Prætura (Governacion) I. 25.
Principatûs initia novis rebus obnoxia, I. 2.
Pujadeſius (Pujades. Marcus Antonius) I. 9.
Pujaltus (Pujalt. Gaſpar) I. 29. (Petrus) I. 29.
Purrojus (Purroi. Michaël) III. 6. 13. 15. 16.
Pyrobola (Bombas) II. 31.
Pyxis ſacra (el Copon) I. 13.

Q.

QUæſtura (Intendencia) III. 37.
Quartius vicus (Quarte) I. 19. 20.
Quiles (Bartholomæus) II. 18.

R.

RAfalis (del Rafal) Marchio, I. 18. II. 19. Vide *Roſellius*.
Rahalii (de Rahal) Comes, ſive Rahalius, I. 6. 12. II. 9. III. 14. 15. 16. Vide, *Perezius Calatajubius*.
Raimundus (Ramon. Joannes Baptiſta) II. 6.
Rectores (los Regidores) Valentiæ primùm creati, III. 20.
Rejonius (Rejon. Didacus) III. 10. 36.
Requena capta ab Auſtriacis, II. 11. recepta à Borboniis, III. 1.
Revilla (Ferdinandus) II. 6. (Joannes Baptiſta) *ibidem*.
Ripollius (Ripoll. Antonius) II. 6. (Philippus) I. 8. 9.
Robertus (Robert. Carolus) II. 18.
Rocamora (Ludovicus) laudatus, II. 6. 18. exul, II. 23.
Rojus (Royo. Franciſcus) II. 18.
Ronquillus (Ronquillo. Petrus) III. 32. 36. 38. 40.
Roſellius (Roſell. Jacobus) Rafalis Marchio, I. 18. II. 14. 19.
Rovira (Stephanus) II. 15.
Ruizius (Ruïz. Joſephus) II. 6. (Petrus) I. 29.
Ruſelius Comes, occiditur, I. 13.

S.

SÆtabicula, ſive Algecira, (Alcira) I. 5.
Sætabi (Xativa) capta ab Auſtriacis, I. 7. 17. oppugnatur, capitur, & incenditur à Borboniis, III. 7. 9. 24. dicta San-Felipe, III. 27.
Saguntini deduntur Auſtriacis, I. 7. laudati, I. 23. 33.

Saguntum (Murviedro) recipitur à Moſcoſo, I. 14. deditur Auſtriacis, I. 25.
Sala (Jacobus) II. 18. (Rochus) II. 18.
Salafranca (Euſebius) II. 15.
Salcedo (Bruno) I. 8. 11. (Joſephus) I. 8.
Salgadus (Salgado. Thomas) III. 25. 29.
Salzadella, I. 12.
Sanchezius (Sanchez. Franciſcus) II. 18.
Sanctæ Crucis (Santa Cruz) Comes (Ludovicus Manuel de Lando, & Corduba) II. 14. 19.
Sanctius (Sanchis i Trilles) Vincentius, II. 23.
Sanct-Onuphrii Poris (la Puente de San Onofre) I. 19.
San Felicius (Feliu. Vincentius) III. 14.
Sangilius (San Gil) II. 40.
San-Matthæus (San-Matheo) I. 12. II. 2.
Sanſius (Sans. Chriſtophorus) II. 6. (Hyacinthus) II. 6.
Sanſius (Sans. Joſephus) I. 8.
Sanſius ab Exeta (Sans d'Exeta) Joſephus, II. 18.
Sarrio (Nicolaus) II. 15.
Saxona (Xixona) I. 17.
Sclopi cuſpidati (Fuſiles con la bayoneta calada) I. 13. II. 21. 40.
Sclopus breviculus (Piſtola) II. 42. III. 11.
Secundarius alæ præfectus (Teniente Colonel de Cavalleria) I. 23.
Segorbienſes (los de Segorbe) I. 7.
Segorbium à latronibus obſeſſum, III. 32.
Seviri Capitales (los ſeis Jueces de Corte, ò Criminales) I. 9. II. 6.
Seviri Valentini (los Jurados de Valencia) I. 5. confirmati, II. 11. 27. aboliti. III. 20.
Seviris Valentinis à Secretis (El Secretario de la Sala) I. 3. 5.
Silveſtria loca ubi Baſetus, & Nepos ſecreta habebant colloquia (las Deheſas de Denia, i Oliva) I. 3.
Simon (Simò. Michaël) I. 25.
Sinocheinus (Sinochein) moritur, I. 13.
Solis defectus, II. 1.
Sotus (Soto. Severinus) III. 30.
Spadanus mons (la ſierra de Eſpadan) III. 13.
Stanhopus (Stanhope. Didacus) III. 43.
Starembergius (Guido Comes de Staremberg) III. 41.
Suarezius (Suarez. Joſeph) II. 18. (Vincentius) II. 18.

Suc-

Succarus (Sucre. Carolus) III. 35.
Sucrò (Jucar) I. 5. II. 3.. III. 8. 17. 20.
Suera vicus, III. 14.
Sumacarcer (Sumacarcel) I. 26.
Sylburgius (Sylbourg. Fridericus) II. 42.

T.

TArrega (Joannes) I. 3. 5. II. 2. 14.
Terraza, II. 18. 23.
Thomas (Franciſcus) II. 30.
Togores (Joannes) II. 14. (Ludovicus) II. 14.
Tormenta graviora (cañones de batir) III. 7.
Tormenta lignea, II. 31.
Tormenta muralia (cañones de batir) I. 11. II. 17.
Torres (Laurentius) II. 6.
Toſſalium (Toſſal(1. 18.
Trierarchus (General de las galeras) II. 14.
Tubus corneus (Fraſco) III. 14.
Turia (Guadalaviar) I. 16.
Turralba (Torreblonca) III. 28.
Turrecuſæ Marchio, III. 15. 16. Vide *Caracciolus.*
Turreſius (Torres. Eleutherius) I. 9. (Vincentius) I. 3. 5.
Turritanus (de la Torre. Joſephus) Epiſcopus Orcelenſis, I. 8. moritur, II. 14.
Turrium Comes (Conde de las Torres). Vide *Moſcoſus.*
Turulius (Teruel) III. 10. 15. 33.

V.

VAlentia capta ab Auſtriacis, I. 5. recuperata à Borboniis, III. 3. 20.
Valentinæ Provinciæ Magiſtratui à Secretis (Secretario de los tres Eſtamentos del Reino del Valencia) III. 20.
Valentini, I. 1.
Valentinus ager (la Huerta de Valencia) I. 15. III. 37.
Valentinorum jura abolita, III. 20.
Valera (Philippus) II. 17. III. 36.
Valle (del Valle. Antonius à) I. 11. 19. III. 3. 32. 34.
Vallis juncaria (Valljunquera) III. 32.
Vazquezius (Vaſquez. Vincentius) II. 18.
Velaſcus (Velaſco. Franciſcus) Pozoblanchi Marchio, Benicarlonum occupat, I. 4. Vide *Pozoblancus.*
Ventura (Thomas) II. 18.
Vergara (Nicolaus) II. 15.

Digitized by Google

Vergeſius (Joſephus) II. 42.
Victor Amedeus, Allobrogum Dux, fœdus init contra Borbonios, quos priùs ſecutus fuerat, I. 1.
Vigliena (Villena) I. 17. obſidio ſoluta, II. 40. ejus arx oppugnatur, capitur, & diripitur ab Auſtriacis, II. 38.
Villagarcia, III. 20. Vide *Mendoza.*
Villamarciana (Villamarchante) I. 9.
Villaregalis (Villareal) expugnatur, I. 13. III. 20.
Villahermoſa, I. 6. capta, & incenſa à latronibus, III. 15.
Villaverdius (Villaverde) Comes (Petrus Antonius de Noroña) II. 40.
Vitalis (Vidal. Andreas) II. 18.
Vitalis (Claudius) II. 40. Vide *Daſfeltius.*
VIII- Viri litibus judicandis (Juez Civil) I. 5.
Vives (Joſephus) II. 6.
Umbraculum (palio) II. 25.
Wolffenbutelæ Princeps (Eliſabeth) III. 41.
Urbs Regia, ſive Mantua Carpetanorum (Madrid) I. 20. II. 1. 4.

X.

XAni Comes, III. 36.
Ximenius (Ximeno. Felix) Sevir Valentinus, II. 11.
XIV- Viri litibus judicandis (los Jueces de la Real Audiencia) I. 9. II. 27.
XIV- Viris litibus judicandis Præfectus (El Regente de la Real Audiencia) I. 9. 29.

Z.

ZAbadia, III. 10.
Zavallanis (Zavallà) Comes (Joannes de Boxadòs) II. 34.
Zugniga (Zuniga. Ludovicus) I. 3. 11.

F I N I S.

Libri

Libri Hagæ Comitum, apud P. de Hondt*;* *impreſſi aut proſtantes.*

NOvus Theſaurus Juris Civilis & Canonici quo junctim exhibentur Varia & Rariſſima optimorum Interpretum, imprimis Hiſpanorum & Gallorum, Opera, Utrumque Jus ex Humanioribus Literis, Antiquitatibus, ac Veteris Ævi Monumentis illuſtrantia, ex Biblioth. Ger. Meerman. *Hagæ-Comitum* 1752. 5 *vol. Fol.*

- - - - - Idem Liber. 5 *vol. Chartæ Majori.*

L. Sectani, Q. Fil, de tota Græculorum hujus Ætatis Litteratura, Sermones IV., acceſſere ad eorum Defenſionem Quintus & Sextus. *Hagæ-Com.* 1752. 8vo.

Guid Ferrarii de Rebus Geſtis Eugenii, Principis à Sabaudia, Bello Pannonico libri III., *Hagæ-Com.* 1749. 8vo.

Joſ. Finiſtres Prælectiones ad Tit. Pand. de Liberis & Poſthumis: cum Diatribe de Poſthumis hæredibus inſtituendis vel exhæredandis. *Cervaræ* 1750. 4to.

D. Ant Merendæ Controverſiarum Juris libri XXIV. Opus Quæſtionum Theoreticarum illuſtrium, & Rerum Forenſium difficillimarum: in quo bis mille & amplius Dubitationes Practicæ, nova Methodo exponuntur. *Brux.* 1745. 4 *vol.* Fol.

Abregé du Service de Campagne, tel qu'il a été fait pendant la Dernière Guerre par les Troupes de l'Etat. à la Haye 1752. 8vo.

Obſervations ſur l'Hiſtoire Naturelle, ſur la Phyſique, & ſur la Peinture, avec des Planches imprimées en Couleurs, par Mr. Gautier. Cet Ouvrage renferme les Secrets des Arts, les Nouvelles Decouvertes & les Diſputes des Philoſophes & des Artiſtes Modernes. 1752. 4to.

Hiſtoire de l'Ordre Militaire des Templiers, ou Chevaliers du Temple de Jeruſalem, par P. du Puy. Ouvrage qui pourra ſervir de Supplement a l'Hiſtoire de l'Ordre de Malthe. Brux. 1751. fig. 4.

Les Avantures de Don Quichotte, repreſentées en XXXI. Figures, par Coypel, Picart, & autres Habiles Maitres. a la Haye 1746. 4to.

- - - - *Le même Livre*, in Folio.

- - - - *Les Eſtampes ſe vendent ſeparement*, in Fol. & in Quart.

De l'Attaque & de la Defenſe des Places, par Mr. Le Maréchal de Vauban. Haye 1737. & 1742 2 *vol. fig.* 4to.

- - - - *Le Tome ſecond, ſeparement.*

La Bibliotheque Univerſelle, Choiſie, Ancienne & Moderne, par le celebre Mr. le Clerc. 83 *vol.* 12mo.

La Bibliotheque Britannique, par une Societé de Gens de Lettres a Londres. Haye 1734. 50. Parties 8vo.

Lettres, Memoires, & Negociations du Comte d'Eſtrades, Monſr. Colbert, & Comte Davaux, avec les Memoires du Comte de Guiche. Lond. 1742. & 1744. 10 vol. 12. *Edition non chatrée.*

Les

Digitized by Google

Les Diſcours Hiſtoriques, Critiques, Theologiques & Moraux, ſur les Evenemens les plus Mémorables de l'Ancien & du Nouveau Teſtament, par Mr. Saurin, Roques, & Beauſobre, avec les belles Figures de Mr. Hoet, Houbraken, & Picart. 6 vol. Fol. *ſur du Papier Roial.*

- - - - *Sur du Papier Super-Roial.*

- - - - *Les Volumes ſeparés du même Ouvrage, ſur du Papier Imperial, Super-Roial, Roial, & Median.*

Delices de la Grande-Bretagne. Leyden 1727. 8 vol. 8vo. *avec quantité de Figures.*

- - - - *de Rome Ancienne, & Moderne.* Leiden 1713. 10 vol. 8vo. *avec quantité du Figures.*

Hiſtoire Naturelle des Oiſeaux, par Albin. Haye 1750. 3 vol. 4to. *ſur du Papier Roial, avec plus de* 300. *Eſtampes.*

- - - - *Le même Ouvrage, avec les Figures peintes en Mignature.*

Hiſtoire Naturelle Générale & Particuliere, avec la Deſcription du Cabinet du Roi. Haye 1750. 3 vol. 4to. *avec les belles Eſtampes de J. van der Schley.*

- - - - *Le même Livre en grand Papier.*

Hiſtoire de Charles XII. Roi de Suède, par Mr. Nordberg. Haye 1748. 4 vol. 4to.

- - - - *Le même Livre en grand Papier.*

Hiſtoire Generale des Voyages, ou, Nouvelle Collection de touts les Voyageurs, &c. Haye 1746. 9 vol. 4to. *avec quantité d'Eſtampes & de Cartes Geographiques.*

Metallurgie ou l'Art de tirer & de purifier les Metaux, avec les Diſſertations les plus rares ſur les Mines & les Operations Metalliques. Haye 1751. 2 vol. 12mo.

Medailles de Grand & de Moyen Bronze du Cabinet de la Reine Chriſtine. Haye 1741. fig. fol.

- - - - *Le même Livre en grand Papier.*

Recuil d'Eſtampes qui repreſentent les Evenemens les plus memorables de l'Ancien & du Nouveau Teſtament, par Mr. Hout, Houbraken, & Picart. On trouve au bas de chaque Eſtampe l'explication en ſix Langues differentes. Ces belles Figures ſont excellentes pour être inſerées dans des Bibles.

Remarques Hiſtoriques, Critiques, & Philologiques ſur le Nouveau Teſtament, par Mr. Beauſobre le Pere. Haye 1742. 2 vol. 4to.

Threſor des Antiquitez de la Couronne de France. Haye 1745. 2 vol. Fol. *avec plus de* 300 *Eſtampes.*

- - - - *Le même Livre en grand Papier.*

Traité de la Peinture & de la Sculpture, par Mr. Richardſon Pere & Fils. Amſt. 1728. 3 vol. 8vo.

La Vie d'Elizabeth Reine d'Angleterre. Haye 1741. 2 vol. 8vo. bis.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

2009
Digitized by Google